Digitized by Google

Hellmann.



M. ANTONII MVRETI I. C. ET CIVIS R.

HYMNORVM SACRORVM LIBER.

Eiusdem alia quædam Poëmatia, aucta nunc demùm & recognita.

HIS ACCESSERVNT:

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI DE PARTV *Virginis libri tres.*

VNA CVM EIVSDEM SELECTIS quibusdam Poëmatibus longè elegantissimis.

Quibus omnibus clarissimorum Heroum MAXIMILIANI *PRIMI* & *CAROLI QVINTI*, *eorundemq́; Belli Ducum Elogia adiuncta sunt.*

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

INGOLSTADII,

Ex Officina DAVIDIS SARTORII.

Anno cIↄ. Iↄ. XXCIV.

SERENISSIMO PRINCIPI GVILIELMO GONZAGÆ DVCI MANTVÆ, MONTISFERRATI, &c.

MAGNE Ducum, fetam populis cui fortibus vrbem
Pulcher olorifero Mincius amne lauat:
Sume datis à te scriptos mihi legibus hymnos,
Neue parum culti despice vatis opus.
Illi etiam quorum hic meriti celebrantur honores,
Lucida quos constans vexit ad astra fidês,
Non indignantur paruo sibi ture litari:
Atque animum magni muneris instar habent.
Forsitan his olim iuuenis meliora dedissem,
Et mulcere aures dulcius apta tuas.
Sed veniens etiam ingenio est damnosa senectus:
Nec tantum vires corporis imminuit.
Cum mihi turgerent meliori sanguine venæ,
Nec curarum animum pondera deprimerent:
Sponte sua numeris carmen mihi mollibus ibat:
Et subito versus fundere ludus erat.

Nunc & corpus habet senio, & mens ipsa pigrescit,
Quodque habuit ludo, nunc onus esse putat.
Dulce onus hoc tamen est, quod te mandante subitur,
Et leuiora facit iussa iubentis amor.
Atque vtinam hæc roseo legat & VINCENTIVS ore
Phœbi & Musarum maxima cura puer:
Qui florescenti paullatim attollitur æuo,
Vt sata se ad fluuij subiicit alnus aquas.
Felix, cui teneris Helicon lustratur ab annis,
Et bibitur volucris fons pede factus equi.
Quem iam ipsa Vranie blandis complexa lacertis,
Stellatas Superûm vexit ad vsque domos:
Ostenditque astrorum ignes, cœlique meatus,
Queisque suos peragant legibus illa choros.
Quis scit, an &, cœlo dum singula dispicit, inter
Cætera maiores viderit astra suos:
Et quos purpureo contexit Roma galero,
Et qui regali sceptra tulêre manu?
Fortunate puer, magnum patris incrementum,
Cui Lachesis net plena aurea fila colo,
Viue diu, vtque dati poscit tibi nominis omen,
Tende atauos omni vincere laude tuos.
Neu graue sit, dum dona tibi grauiora parantur,
Interea partem carminis esse mei.

HYMNI

HYMNI SACRI.

IN ADVENTV.

VERBVM, *quo omnipotens condidit omnia,*
Summi præualidum consilij Angelum,
Vatum plena Deo pectora dixerant
Venturum, vt fieret caro.
Primi quo maculam dilueret patris,
Serpentisq; vafri contereret caput:
Præclusamq; homini morte recluderet
In cœlum propria viam.
Ergo turba patrum, carcere liberos
Qui longo per eum se fore viderant,
Cœlum suspiciens, luctisonis dabat
Carmen lugubre vocibus.
O qui pollicitis applicitos tuis,
Quamuis cuncta potes, fallere non potes,
Longas tolle moras, & citò, quem tibi
Certum est mittere, mittito.
Simplex ætherij numinis vnitas
Quæ distincta eadem est veraq; trinitas,

Æternis vigeat ſemper honoribus,
Et terra ſimul & polo.

IN DIE S. BARBARÆ.

Qualis, nulla polum nubila cum tegunt,
Inter clara nitet ſidera phoſphorus;
Talis martyrio conſpicuas micat
Inter Barbara virgines.
Cui ſolus teneris Chriſtus ab vnguibus
Vſſit cor nitidum perpetua face,
Cui deſiderium, cui fuit vnicus
Spretis Chriſtus amor procis.
Quamuis imperio barbarus aſpero
Terreret genitor, quem furor, & mala
Perduxit rabies, vt gladio caput
Nata demeteret ſua.
Vinclis illa quidem libera corporis
Felix ad Superos protinus euolat.
Sed Chriſtus ſceleratum in Stygias patrem
Sedes fulmine deiicit.
Simplex, &c.

AD LAVDES.

Sancta triumphum virginis
Læti canamus Barbaræ,
Palmamq́ honorem duplicis,
Quam virgo martyr obtinet.

Non stirpis illam regiæ
Splendor superbam reddidit,
Quin se à tenellis vnguibus
Christo regendam traderet.
Insanus infremit pater,
Omnesq́ue pœnas admonet,
Tandemq́ue sacrum filiæ
Caput cruentus amputat.
At virgo casti corporis
Soluta vinclis emicat,
Volatq́ue stipata Angelis
Ad expetitum coniugem.
Æterne cunctorum pater,
Æterne fili par patri,
Et par vtrique spiritus.
Soli tibi sit gloria.

IN NATALI DOMINI.

O *Nox vel medio splendidior die,*
Cuius per tenebras virginis integræ
Ex aluo nitida sol nouus emicat,
Complens omnia lumine.
Æterno imperio qui regit omnia,
Humanumq́ue Deo conciliat genus,
Is nunc sub tuguri vilis operculo
Nascens, pauperiem docet.

 Pasto-

Pastores ouium, dum gregibus suis
Intenti vigiles excubias agunt,
Primi hunc angelico carmine nuntium
Latis auribus hauriunt.
Grata est haud dubiè simplicitas Deo.
Grata est vita, dolis quæ procul omnibus
Rectum sponte sua perpetuo colit,
Et priscam retinet fidem.
Simplex, &c.

IN DIE S. STEPHANI.

LEuitæ iuuenis fortia pectora
Ornari solitis tempus honoribus,
Primus martyrij qui sibi lauream
Vita prodigus induit.
Tundebat lapidum, grandinis in modum,
Denso turba fremens imbre sacrum caput:
Nunquam mota suo sed tamen est loco
Mens sancto ebria Spiritu.
Sed sese in mediis ictibus erigens,
Et cœlum penetrans, En, ait, en eum,
Pro quo dulce mori est, iam video patris
Ad dextram positum Dei.
At tu Christe sinu suscipe me tuo,
Atque his, qui, tenebris turpibus obruti,
Quo sese impediant crimine, non vident,

Quæso te, veniam dato.
Simplex, &c.

IN DIE S. IOAN. EVANG.

CHristo præ reliquis carus Apostolis,
Qui supra Domini pectus in vltimis
Discumbens epulis composuit caput,
Festa luce canendus est.
Felix, cui Dominus iam rigida in cruce
Pendens, iamq; neci proximus, & patri
Sanctam sancto animam tradere cogitans
Matrem crediderit suam.
Felix, qui se aquilæ more super polos
Tollens, & nitida in luce Deum videns,
Diuino eloquij flumine filium
Aequalem docuit patri.
Felix, qui senio iam grauis, & sacra
Multa canitie tempora consitus,
Vt si membra leuis corriperet sopor,
In Christi rediit sinum.
Simplex, &c.

IN DIE SS. INNOCENTIVM.

CAntemus tenerorum agmina Martyrum,
Quos regis rabies abstulit impij,

Cunas innocuo sanguine proluens,
Christum perdere dum furit.
O nullis feritas cognita seculis,
Materno pueros è gremio rapi,
Perfusa vt rutilis corda mucronibus
Lac pro sanguine funderent.
Heu quis, cum solido raptus ab vbere
Districtumq́; pauens ad gladium puer
Blandas carnifici porrigeret manus,
Siccis adspiceret genis?
Augent angelicos nunc pueri choros,
Et Christum liquido gutture concinunt:
Herodem meritis debita talibus
Pœna in perpetuum premit.
Simplex, &c.

IN FESTO S. SYLVESTRI.

PRiscos Roma Duces desine laudibus
Efferre immodicis, qui valida manu
Fines imperij protulerunt tui,
Quacunque Oceanus patet.
His solus tibi plus contulit omnibus
Sanctorum eximium Pontificum decus
Sylnester, dominam qui prius vrbium
Christi supposuit iugo.

Multo

Multo te ille prius sanguine Martyrum
Resperſam, docuit parcere cædibus,
Et quos mille modis ſæua peremeras,
Illorum monitus ſequi.
Romam idem precibus nunc quoque, cœlitûm
Adſcriptus numero, perpetuis iuuet,
Et tanti oſſa ſuo quæ gremio viri
Seruat condita Mantuam.
Simplex, &c.

IN DIE CIRCVMCI-SIONIS.

Circumciſo agitur lux Domino ſacra.
Quæ iam, ſi Dominum ritè libet ſequi,
Impura è tumidis omnia nos monet
Circumcidere cordibus.
Vmbra Euangelij lex fuerat vetus:
Sed ſol exoriens vt tenebras fugat,
Sic ſol iuſtitiæ legitimis ſuum
Finem ritibus attulit.
Nobis corporeo nil gladio eſt opus:
Sermo quippe Dei viuus & efficax,
Seſe inſtar gladij mentibus inferens,
Ad viuum omnia perſecat.
Quæ ſemper vitij germina pullulant,
E noſtris vtinam cordibus amputet,

Anni

Anni principium sit simul vt noui
Vita principium noua.
Simplex, &c.

IN DIE EPIPHANIÆ.

QVæ vos caussa Magi, dicite, perpulit
E vestris iter huc carpere finibus?
Quem tanto studio quæritis anxij?
Quóue hæc munera pertinent?
Nos stella insoliti luminis huc trahit
Et dux certa viam perpetuo præit,
Iudææ populis quæ cupientibus
Regem significat datum.
Auri ista sed enim quid sibi pondera,
Myrrha mirificus quid sibi vult odor?
Aut quæ, cùm populus sacra Deo facit,
Aris thura solent dari?
Rex auro colitur, thura Deum decent,
Nostri myrrha homines post obitum linunt.
Huic ergo hæc pariter munera congruunt,
Qui & Rex est, & homo, & Deus.
Simplex, &c.

A SEPTVAGESIMA AD CINERES.

E *Heu quàm scelerum non tolerabilis*
Nos vrget miseros sarcina, quæ Dei
Nostris principio mentibus inditam
Obscurauit imaginem.
Si nos pro meritis accipiat Deus,
Caussæ nil fuerit, quo minus agmine
In tristes tenebris perpetuis domos
Vno præcipites agat.
Sed semper facilis flecti in eos fuit,
Quos culpæ ex animo pœnituit suæ.
Numquam horum lacrumis & gemitu tulit
Se frustra veniam peti.
Hac spe, quam ipse dedit, poscimus ut graui
Pressos exoneret pondere, neue se
In nostro rigidum crimine iudicem,
Sed mitem exhibeat patrem.
Simplex, &c.

A DIE CINERVM, &c.

M *Vltis tensa epulis viscera dum tument,*
Mens oppreßa nihil cogitat arduum:
Et more indomiti luxurians equi
Pugnat spiritui caro.
Sed subtracto eadem comprimitur cibo,
Et se spiritui morigeram exhibet:

Qui,

Qui, cùm nulla grauant pondera sordium,
In cœlum celer euolat.
Primus corporeo legifer à cibo
Bis binos decies abstinuit dies:
Quem Christus numerum nos itidem sequi
Exemplo docuit suo.
Sed frustra vetitis os tenet à cibis,
Qui factis animum turpibus inquinat.
Ieiuno adsiduæ conueniunt preces,
Cumq; his munifica manus.
Simplex, &c.

IN DOMINICA PASSIONIS.

AEquæua ingenito progenies patri,
Vitam morte suis redderet vt sua,
Se Christus niuei velleris hostiam
Vltro supplicio obtulit.
O erga immeritos mirus amor Dei,
Natum, quæ pietas, tradidit vnicum:
Vt pro mortifera fraude nocentium
Pœnas solueret innocens.
O non visum alias sacrifici genus,
In quo æterna Deo sacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit, & sibi
Ipse est victima pontifex.

O crux

O crux tincta sacri flumine sanguinis,
Olim supplicium mancipiis graue,
Nunc regum capiti præcipuum decus,
Te flexo colimus genu.
Simplex, &c.

IN DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

R*Egem pacificum, mœnia dum subit*
Vrbis celsa sua, turba manu ferens
Palmarum grauidos obuia termites,
Faustis vocibus excipit.
Hic lætas spoliat frondibus arbores:
Hic serta ante pedes florea proiicit:
Supplex ille manus porrigit, hic suis
Terram vestibus obtegit.
Heu mentes hominum. Quis fore crederet,
Quem tantis studiis exciperet frequens,
Post paucos vt eum turba eadem dies
Suffixum adspiceret cruci?
Nil in vita homini perpetuum datur.
Rebus ne nimium fidite prosperis,
Plerumque hic lacrumis gaudia temperat
Certo consilio Deus.
Simplex, &c.

IN

IN DIE PASCHÆ.

POnatur lacrumis iam modus, & nouis
Templorum resonent atria canticis.
In vitam reduci nam Domino sacer
Poscit lætitiam dies.
Lux post Christi obitum tertia venerat,
Cum spes sancta, moraq; impatiens amor
Matronas parili nomine nobiles
Visendum ad tumulum vocat.
Tum motum lapidem, tum lapidi vident
Innixum niueis vestibus Angelum:
Qui, quo sollicitis eximeret metum,
Pauca & certa locutus est.
Non hoc amplius est quem petitis loco.
In vitam rediit Christus ab inferis.
Ite, & discipulis hæc eadem date
Summi nuntia gaudij.
Simplex, &c.

IN DIE ANNVNTIAT. B. VIRGINIS.

AD te siderreis missus ab arcibus
Cum venit Gabriel, virgo, renuntians,
Te summo ante alias complacitam patri,
Mox matrem Domini fore:

Turbata tibi tunc purpureus genas
Sparsit mente pudor, nescia quod viri,
Casto, sponsa licet, pectore virginem
Semper te fore voueras.
Verum idem subitò nuntius addidit:
Istos pone metus: nam tibi iam datum est,
Vt virgo maneas, & tua compleat
Sanctus viscera spiritus.
Tunc ore ex roseo vox tibi prodiit,
Testis mirifica certa modestia:
Ecce ancilla Deo subdita, nil moror:
Fiat, quod Dominus iubet.
Simplex, &c.

IN FESTIVITATIBVS S. CRVCIS.

GEntes, *nulla quibus notitia est Dei,*
Armis, imperio, prole superbiant:
Nobis, queis melior spiritus obtigit,
Sola est in Cruce gloria.
Lignum prima homini pernicies fuit,
Cum primus vetitam contigit arborem
Captus fœmineis illecebris parens,
Quo se perdidit ac suos.
Sed post, lignum homini certa salus fuit,
Cum scandens patulam Christus in arborem,

(Æternus fieri sic voluit parens)
Vita restituit suos.
Crux hostes hominum sola procul fugat.
Crux sola insidiis munit ab omnibus.
Aduersa intrepidus despiciat, licet,
Cuius spes Cruce nititur.
Simplex, &c.

IN DIE ASCENSIONIS.

VIcta in perpetuum mortis & inferum
Insignis spoliis, luce nitens noua,
Primusq́ insolitum Christus iter secans,
Arces in patrias redit.
Natus, nasci iterum nos quoq; dum cupit,
Mundo, mortuus est, nos cupiens mori,
Surgens & repetens æthera, nos quoq;
Vt possimus idem, dedit.
Christo nunc igitur viuere nos decet,
Vt Christo pariter detur inemori.
Surgentes eadem nos quoq; gloria
Puro lumine vestiet.
O per qui te, hominum conditor, ingredi
Casta adduxit amor viscera virginis,
Nos dignare, tuis artubus insitos,
Voti reddere compotes.

Simplex

Simplex ætherij numinis vnitas,
Quæ distincta eadem est veraq; trinitas,
Æternis vigeat semper honoribus,
Et terra simul & polo. Amen.

IN DIE PENTECOSTES.

L*Vstra nostra tua pectora lampade,*
Qui quondam, altisono spiritus à patre,
Lustrâsti vnanimes, missus, Apostolos,
Linguis deditus igneis.
Confirma dubios, dirige deuios,
Consolare tui muneris indigos,
Letaliq; animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.
Mens doctrinam auidè nostra bibat tuam,
Perstetq; adsiduè tota Deo calens,
Et spem firmam in eo constituens sibi,
Terram pro nihilo putet.
O rerum alme sator, certè homines sumus,
Quamquam indigna, tua plasmata dexteræ.
Ne fer, quos tua vis ex nihilo extulit,
Æterno exitio obrui.
Simplex, &c.

IN DIE S. TRINITATIS.

O Nullus hominum peruia sensibus,
Natura penitus sola capax tua,
Cuius condita sunt omnia numine,
Aeterna & monas & trias.
Nato aequeue pater, nateq́ par patri,
Et manans ab vtroq́ inclyte spiritus,
Circumfusa tuo nubila lumine
Nostro discute pectori.
Da, mens per speculum cernere queat
Nostra, & posthabitis te petat omnibus.
E iussisq́ tuis pendeat, & tibi
Soli dedita seruiat.
Tu clemens miseris da veniam pater.
Tu fili miseris sterne iter ad patrem.
Tu sanctum miseris pneuma vagantibus
Praefer conspicuam facem.
Simplex, &c.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

COelestes epulae, certa piis salus,
Quas apponit amor, pura capit fides,
In queis ipse cibi perpetui loco
Coenae se pater exhibet.
Hic verbum Domini fallere nescij
Caecis iudicium sensibus abrogat:

Quod

Quod non est, oculi cernere se putant,
Nec, præsens quod adest, vident.
Sub panis specie viua latet caro,
Sub vini specie sanguis: & vtraq;,
Seu tantùm species sumitur altera,
Christus sumitur integer.
Felix qui Dominum sedulus hospitem
Abstersis animi sordibus excipit.
Qui contra facere id negligit, ah miser
Ipse est exitio sibi.
Simplex, &c.

IN DIE TRANSFIGVRATIONIS.

QVam crebrò dederat discipulis fidem,
Confirmare modis dum studet omnibus,
Tres secum comites montis in ardui
Adsumpsit Dominus iugum.
Illic frons radiis cincta micantibus,
Solaris nituit lampadis in modum:
Tum, qua tectus erat, protinus est niui
Vestis reddita concolor.
Cum Christo gemini visi etiam senes,
Et iussa ad populum cui dederat Deus,
Et qui sidereas visus erat domos
Quadrigis petere igneis.

E nubis nitidæ quinetiam sinu
Hæc dicta omnipotens intonuit pater:
Hic est, quem eximiè diligo, filius.
Huius iussa capessite.
Simplex, &c.

IN DIE S. LAVRENTII.

LAurenti canimus nobile prælium,
Qui cum visceribus flammam aleret suis,
Et cratem roseo sanguine sparegeret,
Subiectis ruber ignibus.
Constanter Domini perstitit in fide.
Ambustumq́ latus carnifici exhibens,
En istam rabiem quo magis expleas,
Hoc iam coctum, ait, est: vora.
Tanto corporeis ignibus acrior
Christi ardebat amor pectore in intimo:
Sic mens tota Dei feruida spiritu
Sensum corporis hauserat.
Nunc nobis solito more rogandus est,
Iratum vt meritò concilict Deum,
Et quos mirifici roboris instruit
Exemplo, precibus iuuet.
Simplex, &c.

IN DIE ASSVMP. B. MARIÆ.

REgnator Superûm quo nitidam die
Matrem sidereis arcibus intulit,
Et supra Angelicos conspicuam choros
Stellanti statuit throno.

Quæ cœlo fuerint iubila, qui sonus,
Quæ sanctis animis gaudia, non modò
Humanis nequeat vocibus exprimi,
Sed nec pectore concipi.

Illa est arca noui conscia fœderis,
Conclusus, Domini deliciæ, hortulus,
Rastro intactus ager, sidere pulchrior
Et sponsa & genitrix Dei.

Felix quisquis eam suppliciter colit,
Rebusq; in dubiis sedulus inuocat.
Numquam hoc qui statuit præsidium sibi,
Spe lusus doluit sua.

Simplex, &c.

IN FESTO S. HADRIANI.

CHristi in militiam nomina ne darent,
Multos impediit supplicij metus:
Multos qui dederant, vis cruciatuum
Illam deserere impulit.

Non sic ille, hodie quem colimus, fuit,
Qui nomen tumido duxit ab Hadria:

Quin constantem animum Christicolum videns
Horum se adnumerum appulit.
Prudenter reputans, non sine numine
Tales cuncta viros aspera perpeti,
Nec se illos temerè sponte sua ratus
Pœnis obiicere omnibus.
Ergo his se agglomerans, credidit: & simul
Index ipse sui, supplicium appetens,
Quæ mente imbiberat, mox eadem suo
Sanxit dogmata sanguine.
Simplex, &c.

IN DIE S. MICHAELIS.

COelestis canimus militiæ ducem:
Qui periurá bonus dissipat agmina:
Et deiecta locis non sibi debitis,
Sedes trudit ad inferas.
Horrendo imbiberat pectore septiceps
Bis quinisq; ferox bellua cornibus,
Intactæ sobolem virginis vnicam
Sæuis mandare dentibus.
Æterni imperio sed Michael patris
Conatus Satanæ reddidit irritos:
Et monstrum innumeris fraudibus obsitum
Victor strauit humi potens.

Idem deposito pondere corporis
Exsortes animas criminis excipit,
In cœlumq́; alacres tollit, & in loco
Lucis perpetuæ locat.
Simplex, &c.

COMMVNE BEATÆ VIRGINIS.

O *Solis nitido lumine pulchrior*
Virgo, constituit quam Deus vnicam
Expertem maculis omnibus, vt fores
Nato digna parens suo.
Te quondam Gedeon vellere in vuido,
Intactaq́; nouis imbribus area:
Te cincto innocuis legifer ignibus
Agnorat prius in rubo.
Rebus principium qui dedit omnibus,
A te, dum se hominum caussa hominem facit,
Sumpsit principium, quiq́; alit omnia,
Pastus lacte tuo est puer.
Per te quod mulier perdiderat vetus,
Humano generi redditur auctius.
Tu clausas miseris heu nimium diu
Cœli prima aperis fores,
Simplex, &c.

COMMVNE ANGELORVM.

MEntes beatæ, lumine
Quas ambit æterno Pater,
Sacroq; lustrans spiritu,
Inse intuentes perficit.
O queis supremus omnium
Primis Creator insidet,
Quos luce complet aurea
Amoris ac scientiæ.
O qui potentis dextera
Virtute cuncta vincitis,
Dei regentis omnia
Fortissimi satellites.
O ter beati Principes,
Archangeliq; & Angeli,
Nos ritè vobis supplices
Hinc in superna tollite.
Æterne cunctorum, &c.

COMMVNE VNIVS CONFESSORIS PONTIFICIS.

PAstor beate, qui tuæ
Concreditum curæ gregem
Sacris luporum faucibus
Patere numquam passus es,

Tu læta dux ad paſcua,
Fontes recludens limpidos,
Oues videbas florido
Semper nitens vellere.
Quod ſi qua forſan tabido
Languere morbo cœperat,
Salubria, vt mitis pater,
Illi admouebas pharmaca.
Cuius laboris nunc tui
Digna aſſecutus præmia,
Fauore, nam potes, tuo,
Qui te precantur, adiuua.
Æterne cunctorum pater, &c.

COMMVNE VNIVS VIRGINIS.

O Virgo, pectus cui ſacrum,
Amoris expers improbi,
Diuini amoris lampade
Sanctus peruſſit ſpiritus.
Non te voluptas dulcibus
Fallax venenis molliit,
Solas amantem perſequi
Cœleſtis agni nuptias.
Sic te ille natus virgine
Suo decore cœperat,

Amore ut ardens illius,
Mundana cuncta temneres.
Beata cui cœlestibus
Templis recepta nunc licet
Inter canentes Angelos
Tuis potiri amoribus.
Æterne cunctorum, &c.

IN FESTO D. AMBROSII.

QValis periclitantibus,
Totoq́ iactatis mari
Tranquillitatis nuntia
Sestella nautis obiicit.
Talem, procellis Arij
Ecclesiam turbantibus,
Qui lumen orbi redderet,
Elegit Ambrosium Deus.
Nondum renatus flumine,
Sed iam renatus flamine,
Concordibus suffragiis
Episcopus delectus est.
Ut ex ministro Cæsaris
Minister effectus Dei,
Humana linquens cæteris,
Diuina iura panderet.

Non

Non alligatur tempore
Diuina certo gratia:
Sed dum libet, quidquid libet,
Puncto vel vno perficit.

Hunc ipse Cæsar horruit,
Contra nec ausus hiscere est,
Cædes ob admissas sacra
Exclusus ædis limine.

Magnam suis fiduciam
Benignus inspirat Deus:
Semperq; pastoris boni
Multum potest auctoritas.

Salue, bonorum maxima
Episcoporum gloria,
Plebemq; deuotam tibi
Cœlo receptus adiuua.

Æterne cunctorum pater,
Æterne fili par patri,
Et par vtrique Spiritus,
Soli tibi sit gloria.

AD BEATISS. VIRGINEM DEI MATREM, QVAE RELIGIOSISSIME COLITVR in Æde Lauretana.

VNDE mihi insolitus præcordia concutit horror,
Et perfusa metu trepidat, velut icta Deo, mens?
Fallor, an hoc facit ipse locus, stimulosq́ pauenti
Subiicit, atque animum præsentia numinis vrget?
O cœlo dilecta domus, postesq́ beati,
Quos ego iampridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primum, veteris voti reus, aduena viso:
Saluete, adspectiq́ mihi feliciter este.
Vosne per ætherias Iudææ à finibus oras
Aligerum, mandante Deo, vexêre manipli?
Hîc virgo genitura Deum, genitricis ab aluo
Prodiit, & blandis mulsit vagitibus auras?
Hic quoque, virginei seruata laude pudoris,
Sancta salutifero tumuerunt viscera fetu?
Ille opifex cunctorum, illa æterno vnica proles
Æqua patri, ille homini, primæua ab origine lapso
Spem cœlo vitamq́ ferens, hac lusit in aula
Paruulus, & sanctæ blanda obtulit oscula matri?

Quænam

Quænam igitur regum sedes, quæ templa per orbẽ
Huic se ausint conferre loco? ter & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora:
Cui Solymos spectare domi, cui munere diuum
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego iam supplex procumbam, atq; oscula figã
Parietibus sanctis, spargamq; hoc puluere crines.
Adspice me superis è sedibus, adspice, virgo
Prostratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:
Neu, quamquam culpis adopertum turpibus, arce
Adspectu me diua tuo, si pectore toto
Te veneror, si te, dubiis in rebus, ad vnam
Confugio, teq; auxilium sanctissima posco.
Pœnitet ex animo vitæ me Diua prioris,
Pœnitet, & meritas horret mens conscia pœnas.
Quod nisi tu casto pendentem ex vbere natum
Concilias, placasq; mihi, quò tendere cursum,
Quóue malis fessam tentabo aduertere puppim?
At tu, namq; soles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapsis mitissima rebus.
Certè equidem tota pendentes æde tabellas
Adspicio, quæ te miseris præsto esse loquuntur.
Hic, te animo spectans, torrentem viscera febrim
Depulit, ille hyadas tristes, hœdumq; cadentem
Spectauit tutus, vertentibus æquora ventis,

Et du-

Et duce te patrias enauit saluus ad oras.
Criminis ille reus falsi, sub iudice duro,
Dum mortem expectat, tenebroso carcere clausus,
Munere Diua tuo detecta fraude, reuisit
Uxorem, & natos, exoptatumq; parentem.
O ego nunc morbis multò grauioribus æger,
Naufragiumq; timens longè exitiosius illo,
Et iampridem animum peccati compede vinctus,
Si possim morbis liber, vinclisq; solutus,
Fluctibus & ventis laceram subducere puppim:
Quas tibi lætus agam grates, dum vita manebit?
Te, cum luce noua sparget sol aureus orbem,
Te recinam, quoties abscondet opaca polum nox:
Et tua præcipuo venerabor numina cultu.

IN D. BARBARAM.

BArbara, qui laudes speret se æquare canendo
Posse tuas, idem pulsantes littora fluctus,
Et Libycas numero comprendere tentet arenas.
Te pater insanus turri concluserat alta:
Sed veram Danaen verus te Iuppiter illic
Despondit sibi Christus, & arcto fœdere iunxit.
Illo & tu triplices fieri inspirante fenestras
Mandâsti, & niueo sculpsisti in marmore signum,
Quo reparata salus, & deficiente ministro
Ipsa tuos mersisti vndis lustralibus artus.

Quid

Quid memorẽ, ut tibi mons fugienti cesserit, aut qu..
Cœperit indicij uæsanus præmia pastor,
Qui dum miratur pecudes in marmora versas,
Ipse suum pariter sensit lapidescere corpus.
Non tu carnifices, non tu tormenta timebas,
Non gladios, animosa, & Christo plena virago,
Qui te ad cœlestem meritis pro talibus aulam
Euexit, regniq; libens in parte locauit.
At tu Diua graues hominum miserata labores,
Pacem illis, veniamq; ora, & nocitura repelle.
Præcipuè antiquo prognatum ex sanguine regum
Gonzagam, felix quo se duce Mantua iactat,
Qui virides Minci ad ripas tibi Diua sacrauit
Templum augustum ingens, cura quod et ipse tuetur
Peruigili, vt flammam latè spargentibus aris
Sæpe manu propria meritos imponit honores,
Hunc tu Diua tua protectum numine sancto
Conserua, populumq; simul, qui sacra, secutus
Principis exemplum, puro tua corde frequentat.

GUstanda vita, non fruenda, homini datur.
Nam, cùm fruendi tempus est, tum deserit.
Felicius maritus, an cælebs agat,
Priuata vita sit ne regno dulcior,
An vita regia solium attingat Iouis:
Peregrè morari suauius sit, an domi:

Qui, quamq; multi, & quo parandi more sint,
Quo habendi, amici: nullus hæc curat puer:
Rarus adolescens: nec senex omnis videt.
Et hæc tamen vitam prope omnem continent.
Quæ si quis acri cura & vsu peruigil
Longo notârit, iamq; secum statuerit,
Quid fugere, quid contemnere, & quid persequi
Expediat homini, vix eam ingresso viam,
Quam maximè vnam ex omnibus probauerit,
Obstat senectus inuida, & cursum impedit:
Mox auida tristes Lachesis iniicit manus.
Sic viuere meditantibus vita euolat.

SI expectes, Pamphile, ipsa dum negotia
Te accersant vltro, & dormientem exsuscitent,
Vehementer erras. taciti discedunt dies:
Nec obliuiosos officij admonent sui.
Superba res est rei gerendæ occasio.
Semel contempta, numquam postidea redit.
Vigiles oportet, & tua accures memor.
Nam, si ipse rem curare negligas tuam,
Fugit illa, & facile, qui se curet, inuenit.
Tu rem quam cures postea haud facile inuenis.

MEmini magistrum puero mi olim hoc dicere,
Summum Iouē facere item, vt caupones solēt:
Qui vina vt vendant, turbant, miscent, diluunt:

Nec cuiquam vini simplicis danunt cadum.
Itidem illum aiebat in vita mortalium
Numquam fortunam simplicem quoiquam dare:
Sed temperare fata lætis tristia.

E Græco Callimachi.

NAmq; & ego nitido capiti, flauisq; capillis
Serta olim Assyrio sparsa liquore dedi,
Et bona in ingratum congessi plurima ventrem,
Cuncta sed in ventos illa abiere leues.
Seruârunt sola commissa fideliter aures.
Corporis hac vna est parte reperta fides.

RAPHAELIS VRBINATIS PICTORIS EXIMII TVMVLVS.

Ipse loquitur.

SIC mea naturam manus est imitata, videri
Posset vt ipsa meas esse imitata manus.
Sæpe meis tabulis ipsa est delusa, suumq;
Credidit esse, mea quod fuit artis opus.

Miraris, dubitasq́ue? audito nomine credes.
Sum Raphael. hei mi, quid loquor? immo fui.
Et tamen, his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea & audito est notissima nomine virtus:
Et præstare vicem neminis ipsa potest.

QVidquid agã, Claudi, seu quo me vertere tentẽ,
Seu nihil, vt soleo desidiosus, agam:
Ante oculos tua mi adsidue obuersatur imago:
Vnaq́ue tristitiam gignit, & vna leuat.
Angor enim infelix, quod te, quod sospite solum
Esse velim sospes, quo moriente mori.
Nunc, vbi sis, quid agas, veterem tibi cura medentũ
An nondum, morbum pectore depulerit.
Nec scio, nec iam scire vlla ratione potis sum:
Quæ me res angore vnica pene necat.
At rursus nihil est, quo me ipse hoc tempore soler,
Quodq́ue oculos tristi tergeat imbre graues,
Te nisi cum vana sibi mens sub imagine fingit:
Seu vigilem, dulci siue sopore premar.
Hoc mihi Nepenthes curas dissoluere promptum est:
Luctibus hæc vna est apta medela meis.
Tecum ego nunc videor teneros percurrere versus,
Siue Catulle tuos, siue Tibulle tuos:
Nunc etiam rerum caussas tentare latentes,
Discere & vnde fluant omnia, quoque fluant.

Nunc

Nunc herba in viridi, lata porrectus ad umbram
Arboris, & riuum molle strepentis aqua,
Aurasq́; & dulces auium captare susurros,
Perq́; vices tecum multa iocosa loqui.
Gratia dis, qui mentem homini celeremq́; dederunt,
Et quauis habilem fingere spectra sibi.
Illa & plumipedem superârit Persea cursu,
Et celerem inuicti Bellerophontis equum.
Nec mihi, se cuius rerum natura creatrix
Expressam in tabulis cernit, ut in speculo,
Tam bene te docto Titianus pollice pingat,
Quam mens te adsidue pingere prompta mea est.
Atque utinam tibi sit de nobis mutua cura.
Nec, quin sit, dubito: sed tamen esse precor.
Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore.
Hac face rara Deus tangere corda solet.
Me me ipse odissem, nisi tu me gratus amares:
Nec nisi me, quoniam sum tibi carus, amo.
Denique cùm fuero nulli credenda locutus,
Pars tamen illa mei paruula amoris erit.
Di faciant, longos producere detur in annos
A pueris cœpta fœdus amicitia.

O Lingua lingua: ut magna eges custodia:
Qua & aliis sæpe, & sæpius Domino noces.
Multum assecutus, qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus assecutus est.

NIuibus hyems exuberat, ver floribus,
Æstas aristis affluit, lacrumis amor.

SI mihi lacerti, quales olim, nunc forent:
Non lingua potiùs tibi opem ferre, quàm manu.
Nunc tarda membra, & sanguis adstrictus gelu
Conserere id acie cum hostibus manum vetant:
Prodesse patriæ voce & consilio sinunt.
Corpus abit annis: consilio animus viget:
Viresq; senibus defluunt, verba affluunt.

HEre, si querelis, eiulatu, fletibus
Medicina fieret miseriis mortalium,
Auro paranda lacrumæ contra forent,
Nunc hæ ad minuenda mala non magis valent,
Quàm nænia præficæ ad excitandos mortuos.
Res turbidæ consilium, non fletum, expetunt.

VT imbre tellus, sic riganda mens mero:
Vt illa fruges, hæc bona consilia efferat.

AD P. FVLVIVM CARDVLVM.

SÆpe transactos mea mens per annos
It retro, & vitæ relegit prioris,
Qua potest, cursum, veteres reuoluens
Ordine culpas.

Quid puer, quid dein iuuenis, quid autem
Temporis iam vir malè collocauit:
Dulcibus dum me furiat venenis
Dira voluptas.

Quas mihi imprudens màculas inussi?
Quo modo ah demens animum inquinaui,
Quem salutaris nitidum lauacri
Fecerat vnda?

Corporis nec pars vacat vlla probro:
Os, manus, aures, oculiq́; turpe
Heu iugum infamis domina tot olim
Lustra tulerunt.

Paululum hoc saltem fugientis æui,
Viribus cassa reliquum senecta,
Quantulum Christus superesse vult mi,
Vindicet ipse.

Ipse me pridem Veneris perustum
Improba flammis rapiat, nouoq́;
Flamminis sancti iecur & medullas
Igne pererret.

Tu tui instilla mihi Christe amorem:
Vnicum mens te mea concupiscat:
Te nihil præter sibi persequendum
Iudicet vnquam.

Nil opes, nil me capiant honores:
Exulet luxus simul & libido:

Vana delusæ procul hinc facessant
Gaudia mentis.
Quiq; florenti malesanus æuo
Nil nisi obscœnum, piget heu, canebam,
Nunc tuum tantum repetam senili
Carmine nomen.
Tu quoque hunc votis precibusq; Fului
Adiuua ardorem: quotiesq; sumis
Mysticum Christi trepidus nitentem
Corpus ad aram.
Mente tunc tecum memori volutans,
Trade me Christo: mea vota nam si
Negligat, certè tibi nil petenti
Tale negabit.
Hoc idem cari mihi præstet oro
Cura Maffæi: & mea dicta quondam
Qui nimis forsan cupida bibebat
Bentius aure.
Bentius, quem rectum iter euagantem,
Et parum cauta calidum iuuenta,
Contigit virga Deus, in suumq;
Duxit ouile.
Nunc vbi expletus meliore mentem
Pabulo, currit per iter salutis,
Heu procul segnem sua post relinquens
Terga magistrum.

P. FRAN-

P. FRANCISCO BENTIO.

BEnti, nihil me, ſicut antea, iuuat
Peruigili ſtudio nil profutura quærere:
Nec quas per vrbes cautus, exciſo Ilio,
Saxa Ithacæ repetens, Laertis errârit puer:
Nec quot Ithacenſes circa pharmacis potens,
Vultu hominum poſito, grunnire porcos iuſſerit
Curæ magis mi eſt, luſtra iam decem miſer
Qualibus in vitiis defixus ipſe errauerim:
Cum me, Dei vix iam manente imagine,
Mortifera induerat fœdam voluptas in ſuem.
Quis me ſequetur fructus, vbi pernouero,
Quot mala Graiugenis Achillis ira inuexerit:
Si neſciam væſanus, in quæ me mala
Præcipitem ira Dei, niſi reſipiſcam, actura ſit?
Hei mi laboris, hei dierum ac noctium,
Quas memini in ſtudiis me talibus conſumere,
Malè metuentem, ne quis vſquam æqualium
Certius ac melius plures teneret fabulas.
Et tamen ab æquis non grauatè improuida
Iudicibus veniam fortaſſis ætas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum ſim caput,
Et mihi ſarcinulas breui legendas ſentiam,
Niſi meliora mente tota cogitem:
Bis puerum merito Franciſce me vocaueris.

Beatus ille, quem inuenta in limine
Abstrahit à vitiis ipse & sibi adstringit Deus.
Nec tamen habendus ille in infelicibus,
Ad meliora, Deo vocante, qui venit senex.
Verum est poëta nobilis verbum vetus:
Si bene quid facias, sero licet, prodest tamen.
Communi vterque gratias agat patri.
Sors tibi prima data est: mihi secunda contigit.

MVRETO FRANCISCVS BENTIVS.

MVrete, me nunc, sicut antea, iuuat
Quæ mihi, quæque aliis das profutura carmina
Expressa sancti spiritus molimine,
His auidis oculis & tale quæritantibus
Et lectitare & lectitando ediscere.
Labitur inde mihi furtim humor vdas in genas,
Palam arguens quæ pectus intrant gaudia,
Pectoris exigui maiora claustris gaudia,
Conuersa studia quando vtriusque refricas.
(Grata vtriusque Deo & mortalibus conuersio)
Nam vterque nigro noctis è silentio
Cœpimus aspicere Christi benigna lumina.
Vterque noctis tum relictis artibus,
Depositis tenebris & arma lucis induit.

De te sed ipse multa deploras modis
Flebilibus: lacrymas: & ad gemendũ me vocas.
Eheu dolor: quid vlcus antiquum nouas?
Iã memini, miser, heu, quod pœnitet, piget, pudet.
Cum vilis ancillæ expauescens voculas
Immemor officij, Christum negaui sæpius.
Gallo at canente, cum me amico lumine
Intuitus Deus est: prior mihi tunc mens redit.
Ad me ipse tandem triste post tempus redij,
Exiliensq́; foras, laxaui habenas fletui.
Abstersit inde lacrymas Christus meas,
Speq́; data venia, perduxit in gregem suum.
Eduxit idem, quod fateris, improbæ
Seruitio dominæ, & vindicauit te sibi.
Quid restat ergo? hortetur alter alterum.
Nunc si aliquis grauior fortasse se offeret labor,
Feramus hunc, Murete, mente qua decet,
Atq; ducem Dominum forti sequamur pectore.
Quod si vna vtrumq; ad vineam hora non vocat,
Vnus vtriq; tamen promittitur denarius.

SVmmus amor domini medio mi in pectore feruet.
Namq; meas clemens audiit ille preces:
Excepitq́; meas facili bonus aure querelas,
Illum igitur, fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi hærebam vinctus quasi fune doloris:
Nec procul à dura limine mortis eram.

Summe Deus, dixi, solo te vindice fretum
Eripiat tantis me tua dextra malis.
Vt bonus est, vt opem cito rite vocantibus adfert:
Iustus vt, & nitidæ simplicitatis amans?
Attritus prope eram, cum me consurgere iussit,
Depulit & capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas anima? ad solitam te verte quietē.
Plurima supremi munera regis habes.
Ille à morte animam hanc, à tristi lumina fletu,
A lapsu infirmos eripuitq́ pedes.
Viuam igitur posthac illo duce & auspice tutus:
Et mea semper erit cura placere Deo.

QVid gloriaris perfide, quid tumes?
An ista verum nescia proloqui
Te cæteros supra ferocem
Lingua bonis inimica reddit?
Cura vna & vnum est id studium tibi.
Noctes diesq́ hanc, vt potes, asperas
Nouaculæ in morem: & latentes
Insidias struis huic & illi.
Te læta damnis improbitas iuuat,
Egensq́ semper pluris iniquitas:
Tu fœda facta & fraudulenta
Vsq́ nouis cumulare gaudes.
Queiscunq́ verbis, ô scelerum artifex,
Posse in ruinam præcipites agi

Confidis insontes amicos,
Illa tibi didicisse melli est.
Quapropter vltor, ne dubita, Deus
Tandem à merenti supplicium exiget:
Radicibusq; euulsum ab imis
Sedibus eiiciet tuis te.
At hæc videntes, artubus intimis
Iusti intremiscent: & magis ac magis,
Ne prouocent in se quoq; iram
Numinis, admoniti cauebunt.
Tu risus illis interea miser
Iocusq; fies. En sibi qui Deum
Temnebat adiutorem: & in se
Sat sibi præsidij putabat.
Quid nunc, quid illum per scelera & dolos
Exstructæ in altum diuitiæ iuuant?
In puluerem omnia & fauillam
Et tenues abiere fumos.
Ego autem, in vno spem mihi qui Deo
Omnem locaui, liber agam metu:
Florens oliuæ instar nitentis,
Quam domini studium tuetur.
Semperq; regum maxime te canam:
Nec me sonoris deficiet tuum,
Plaudente iustorum corona,
Carminibus celebrare nomen.

O Populi

O Populi lato quoscunque alit vbere tellus,
Ingeminate alacres plausum, luctuq; fugato,
Læta triumphali resonent, facite, omnia cantu.
Ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,
Quem sola terrarum, cœli quem templa verentur,
Subiecit nobis populos, fastuq; represso,
Ferre iugum admota pedibus ceruice coëgit.
Ipsemet elegit clemens patrimonia, nobis
Quæ daret, æterno Isacidæ succensus amore.
Euge pater, pater euge tuũ hæc sunt omnia munus.
Ascendente Deo, litui sonuêre, tubæq;:
Prodidit ipse nouis sua gaudia vocibus æther.
Psallite nunc pia corda Deo: nunc psallite Regi,
Psallite, qui terras omnes ditione coërcet:
Et mulcete pias doctis concentibus aures.
Imperium sine fine Deus toto obtinet orbe,
Et sancto innixus solio regit omnia solus.
Ductores populorum illius signa sequuntur.
Namque Abrahami alios longe Deus anteit omnes.
Scuta sua extulit ipse alte super ardua terræ.

Q Visnam, ô rex æterne, tuã admittetur in aulã?
Cui dabitur montis culmen adire tui:
Perpetua vt tecum compostus pace fruatur,
Carpens nota vnis gaudia cœlitibus?
Qui nulla ingreditur macula suffusus, amatq;
Ex animo rectum, iustitiamq; colit.

Cui

Cui neque cor fraudes agitat, neq; subdola lingua est:
A quo se læsum dicere nemo potest,
Quem fugiunt iniusti, & quo præsente liquescunt:
Quo viso, iustis mens animusq; redit.
Quem mutare fidem numquam iactura coëgit:
Fœnore qui partas odit & horret opes.
Nullo unquam iudex potuit qui munere vinci,
Vt duro insontes læderet ore reos.
Qui facit hæc, is demum in cœli templa receptus,
Tecum una dempto fine beatus erit.

MEnte Deum pura quisquis veneratur amatq;,
Vis illi exterior nulla nocere potest,
Non si illum obsideant hostiles vndiq; turmæ,
Quas sitis innocui sanguinis exagitet:
Non totò coëat si quidquid in orbe ferarum est,
Et quot in Oceani gurgite monstra natant.
Ille, licet tristes agitent maria alta procellæ,
Vndarum in medio vertice tutus erit.
Ille interq; feras atque agmina sæua latronum
Noctu etiam in medio tutus erit nemore.
Non quæcunque truces adhibent tormenta tyranni,
Illius vnquam animum terrificare queant.
Pix, rota, robur, equus, candentis lamina ferri,
Omnia pro Christi nomine ludus erunt.
Felices, quorum ille imis amor ossibus hæsit.
Quanta illos obita præmia morte manent?

O si me quondam numero Deus aggreget illi:
Quæ tunc sors melior fortè futura mea est?
Ah Christe vre meum tandem face pectus amica,
Eeque pigro inuisum discute corde gelu:
Vt nec auarus opes secter, neq; vanus honores:
Sed flagrem solo totus amore tui.

TIBVR.

QVicunq; Herculei spectabit Tiburis arces,
Quà pater Hippolytus, sacri pars magna sena-
Cura Deum, loca perpetuò prius aspera saxo (tus,
Molliit, & leui iussit mitescere cliuo,
Omnia deprendet longè superantia famam.
Nec tam regifico constructa palatia sumtu,
Auroq; illusas ædes, radiataq; tecta,
Quam semper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in sublime volantem,
Seq; in multiplices vertentem, vt Protea, formas.
Præcipuè tamen illi animum nouitate monebit
Excisus, res mira, silex, rupesq; cauatæ,
Et via facta manu longi per viscera montis:
Quà se Anio pater insueto peruolueret alueo.
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus,
Exit, & arboribus gelidæ non inuidet vndæ.
Stant habiles propter Nymphæ, lymphasq; para-
Exceptas vrnis in vasa capacia fundunt. (tis

Parte alia ipse suis altricibus adstat Iacchus,
Materniq́ memor casus, flammaq́ paternæ
Gaudet aquis, illisq́ libens sua munera miscet.
Dum stupeo, tam multa videns miracula rerum:
Ecce nouus procul alituum concentus ad aures
Fertur, & insolita mentem dulcedine tangit.
Adspicio: & gressum propius fero, corpora cerno
Parua ex aëre auium, aëratis nitentia ramis,
Dædala queis variam tribuit sollertia vocem.
Quamcunq́ adspicias, delusus imagine, veram
Esse putes volucrem: nisi quòd non euolat vsquam:
Sed ramis affixa suis cantu æthera mulcet.
At veræ mirantur aues: &, cedere dum se
Turpe putant, liquidis latè omnia questibus implent.
Hic Lucæ egregius labor est, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renouantem inuenta magistri.
Quid? quem nō moueat cygnū mentitus adulter,
Illudens simili spirantem è marmore Ledam,
Deliciisq́ suis, & aquarum murmure lætus?
Multaq́ præterea veterum simulacra Deorum,
Artis opus priscæ. cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides: qui spectans omnia circum,
Hesperidum veteres hortos præ Tibure temnit.
Sed quid ego hæc versu nequidquā includere tēto?
Iampridem exiguum præscripti carminis orbem
Excessi: & dictis semper maiora supersunt.

IDEM.

DElicia veterum Tibur voluentibus annis
Conciderat, priscum perdideratq; decus.
Et nusquam riui, nusquam pomaria, nusquam
Vlla super tanti signa decoris erant.
Illa loca antiquis toties celebrata poëtis
Horrebant turpi squalida facta situ.
Mœrebant erepta sibi sua gaudia Nymphæ,
Languentes Anio mœstus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformarat, vt hospes
Quæreret in medio Tibure, Tibur vbi est?
Non tulit hanc speciem diuini pectoris heros
Hippolytus, sacri gloria magna chori.
Ille loco senium abstersit, vultusq; priores
Reddidit, & solito iussit honore frui.
Illius imperio iussæ reuirescere siluæ
Cœperunt sparsis luxuriare comis.
Ille nouos passim fontes emergere iussit.
Nec mora fit: fontes prosiluere noui.
Quos circum statuit priscis egesta ruinis
Plurima Phidiaca signa polita manu.
Ipse Anio frontem pallenti incinctus oliua
Affuit, & proprias consociauit opes.
Iure igitur fontesq; sacri, siluæq; virentes
Certatim Hippolyti nomen ad astra ferunt:

Et, quoties molli increpuit leuis aura susurro,
Hippolytum alternis vocibus ingeminant.

AD PETRVM GERARDIVM.

O Delicati blanda ruris otia,
Curis & ambitu procul:
O dulce murmur limpidorum fontium,
O grata nemorum opacitas,
O sibilantes arborum ingentum comæ,
O prata verè gemmea,
O solitudo amica cogitantibus,
O horror, ô silentium,
Cui nunc canoro gutture obstrepunt aues,
Nunc canna pastoris vagi,
Seu mane oues in læta ducit pascua,
Seu vespere reducit domum.
O mensa nec luxu affluens, nec sordida,
Dapibus parata rusticis,
Quas non, heri languentem vt irritet gulam,
Doctus saporauit coquus:
Sed filiis iuuenibus & seni viro
Seuera coxit villica.
O bibliotheca nota paucis, ô libri,
Quos rara contrectat manus.
O cella tantum lectuli vnius capax,
O somne liber, & leuis:

O ad beatam tuta vitam semita,
Ignota vulgi sensibus:
Vt vos requiro: vt mente vos tota expeto,
Alia perosus omnia.
Vt lætus ad vos tendit, & gazis libens
Vos anteponit Persicis,
Quicunq; puro pectus Olmeo lauit,
Frondemq́; mordet Delphicam.
Quid tu, Gerardi, cui profanis inuios
Adire fontes contigit,
Partesne easdem sequeris, an siti mala
Opum, aut perustus gloriæ,
Amœnitati ruris & dulci otio
Vitam anteponis aulicam?
O per Lycei cognitos paucis specus,
Quos sæpe lustrâsti puer,
Ne sperne amicus consili quod dat senex,
Quodq́; sibi, sed sero capit.
A litterato te otio auocantibus
Occludito aures, & fuge:
Canora monstra vt auribus cera oblitis
Laertis effugit puer.
Beata vita non metallo aut Indici
Spoliis paratur æquoris.
Animo appetenti pauca, quod sat est, sat est:
Auido, atque inexpleto, nihil.

Cum

Cum tibi ſit, vnde liber, & planè tuus
Vitam quiete tranſigas:
Quis, heu, furor te, quis, rogo, impellit furor,
Vincla vltro vt induas tibi,
Et more pulchrum viuere alieno putes,
Nutus timentem diuitis?
Age, rumpe nexus, & iugum collo excute,
Vindexq́; & adſertor tui,
Aude eſſe felix, & procul cuncta amouens,
Quæ mentem humo adfixam tenent,
Per liquida puri ſpatia decurre ætheris,
Æterna tantùm cogitans:
Et iſta ſortis lubricæ ludibria
Miranda vulgo deſere.
Vtinam mihi olim, flore cum primo rudes
Iuuenta opacaret genas,
Amicus aliquis iſta monſtrâſſet ſenex,
Quæ nunc tibi ipſe cantito.
Non ego periſſe luſtra tot in aula mihi
Vanis dolerem queſtibus.

Dedicatio hortorum Tiburnorum.

NEC labor Aloiden fregit, nec blanda voluptas
Vmquam animum caſti molliit Hippolyti.
Ambarum hos hortos virtutum accenſus amore,
Herculi, & Hippolyto dedicat Hippolytus.

IDEM.

AVrea sopito rapuit quæ mala dracone
Alcides, eadem nunc tenet Hippolytus.
Qui memor accepti, quos hic conseuerat hortos,
Auctori voluit muneris esse sacros.

Bacchus fonti impositus.

NOndum natus eram, cùm me prope perdidit ignis.
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

Idem ex aduerso respiciens fontem Nympharum.

QVi colitis Bacchum, comites simul addite Nymphas.
Nam sine ope illarum munera nostra nocent.

In tabulam Tantali.

SI quando admittant sua te ad secreta potentes,
Quisquis es, exemplo disce tacere meo.

In tabulam Iasonis nauigantis, & Herculis raptum Hylam quærentis.

VIribus auferres, quod fraude parabis Iason:
Eripit Alciden sed tibi raptus Hylas.

PROLOGVS IN PHORMIONEM TERENTII.

Cum eam aliquot nobiles adolescentuli Hippolyti Cardinalis Ferrariensis iussu acturi essent.

ETsi scio esse hîc neminem, qui nesciat
Quid apparatus noster hic velit sibi,
Tamen mearum partium esse existimo,
Interea dum se mei sodales comparant,
Bòna cum venia vestra pauca dicere,
Quæ scire vos, & vestra, & ipsorum interest.
Comœdiam Terentij acturi sumus,
Cui Phormioni nomen ipsus indidit,
Quod parasitus in ea Phormio primas agit.
Neque hoc videri debet aut mirum, aut nouum:
Quandoquidem in omni vita, nedum in fabulis,
Parasiti, scurræ, sycophantæ, omne id genus,
Bonis repulsis, ipsi iam primas agunt.
Quod si quis est, parum decorum qui putet,
Iuuenes ingenuos personatos conspici, in
Scœnam prodire, & quasi facere histrioniam:

Is sibi responsum hoc habeat: nulla re magis
Diiudicari omnia, quæ mortales agunt,
Quàm fine, quem is, qui quid agit, proponit sibi.
Qui scœnicam artem victus caussa factitant,
Et, vt coquis ac laniis risum excitent,
Distorquent ora, insulsa dicta dictitant,
Contendunt pugnis se inuicem, atq; horum omnium
A plebe viles exigunt mercedulas,
Meritò histrionum nomen & famam ferunt.
Nil simile nostrum est. Nos, vt nostram industriã
Vobis probemus omnibus, vt communi hero
Hilaremus animum, cui debemus omnia,
Vnum id petentes, hunc laborem cœpimus.
Quamquam ô supremi cœlites, quem iam omniũ
Pudere debet personatum conspici,
Cum id omnis ætas, omnis ordo factitet?
Sed nolo nunc vlcera cuiusquam tangere,
Ne quis satyram hanc esse dicat, non comœdiam.
Nunc vnũ à vobis, priusquã hinc abeam, postulo:
Si vos, quod vestri honoris caussa fit, iuuat,
Fauete, & vigilate animis, vigilate auribus,
Dormite linguis. qui tacere non queunt,
Bene fecerint, si cesserint iis, qui queunt,
Ne & turbent alios, & morbum prodant suum.
Facite, ad conanda in posterum nos talia
Bonitas vt vestra, atq; æquanimitas excitet.

Ad Antonium Montecatinum.

TAndem querelis pone modum tuis,
Et fata mœstis inuida vocibus
Clamare, crudelesq; Diuos
Cum gemitu lacrumisq; parce.
Nam, quid Lycei inuerit auios
Lustrâsse saltus, fontibus ac sitim
Ex vulgo inaccessis leuâsse,
Ingenioq; adiisse Diuos.
Si mentis istud præsidium tua
Perrumpit, & sese intus agit dolor,
Imisq; feruens in medullis,
Te quasi perdomito triumphat?
Magnam doloris fata quidem tibi
Caussam obtulerunt, quæ tibi cognitum,
Longoq; carum vsu sodalem
Hannibalem ante diem abstulerunt.
Qui quamquam auitis sat titulis domi
Forisq; clarus, non tamen id sibi
Satis fore ornando putauit,
Ni proprios etiam ipse honores
Labore magno quæreret impiger,
Comamq; lauro duplice necteret,
Et qua ferox Gradiuus. & qua
Pulcher Apollo suos coronat.

Heu quis Deorum mentibus addidit
Famæ illam honeſtis immodicam ſitim?
Quam ſæpe multis ille triſtem
Funeris accelerauit horam.
Sed, quorſum inanes iam quærimoniæ?
Ille ipſe, quem vrges queſtibus, Hannibal,
Felix, & inſertus Deorum
Concilio, mala noſtra ridet.

M. ANTONII MVRETI INSTITVTIO PVERILIS COMPREHENSA VERSIBVS AD CAPTUM PUERULORUM QUI PRIMIS LITTERIS IMBUUNTUR ACCOMMODATIS.

AD M. ANTONIVM FRATRIS F.

DVM tener es, Murete, auidis hæc auribus hauri:
Nec memori modo conde animo, sed & exprime factis.

In primis venerare Deum: venerare parentes:
Et quos ipsa loco tibi dat natura parentum.

Mentiri noli. numquam mendacia prosunt.
Si quid peccaris, venia est tibi prompta fatenti.

Disce

Disce libens. quid dulcius est, quàm discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.

Si quis te obiurget, malè cùm quid feceris, illi
Gratiam habe, et ne iterum queat obiurgare, caueto.

Nè temerè hunc credas, tibi qui blanditur, amicum.
Peccantem puerum quisquis non corrigit, odit.

Qui semel incautum blando sermone fefellit,
Ille idem, dabitur quoties occasio, fallet.

Nec cuiuis sapiens, nec nulli credere debet.
Fallitur alter sæpe. fidem sibi detrahit alter.

Si quid fortè mali aut facias, aut mente volutes,
Vt lateas homines, certè Deus omnia cernit.

Non nisi spectatis arcana sodalibus effer:
Quodq; tacere voles alios, prior ipse taceto.

Nil cupidè specta, nisi quod fecisse decorum est:
Turpia corrumpunt teneras spectacula mentes.

Auerte impuris procul à sermonibus aures:
Et qui illis gaudent, horum consortia vita.

Principio studij radix inamœna videtur,
Sed profert dulces paruo pòst tempore fructus.

Ludo indulsisti? subitò euolat illa voluptas.
Legisti? vtilitas studio percepta manebit.

Vt moderata quies prodest, viresq́; ministrat:
Sic hebetat corpus nimia, ingeniumq́; retundit.

Si prodesse aliis studeas, tibi proderis ipsi:
At nisi ames alios, & te quoque nullus amabit.

Successus faustos numquam admirare malorum.
Sera licet, tamen olim illos sua pœna sequetur.

Si tibi grata quies, iuuenis ne parce labori:
Dux ad honoratam est homini labor ipse quietem.

Inspice te in speculo: & bona seu tibi forma videtur.
Moribus obscœnis illam fœdare caueto:

Seu tibi subtraxit vultus natura decorem,
Ingenio vt forma compenses damna, labora.

Nil facito, quod turpe putes fecisse videri:
Et cura, vt multis tibi sis pro testibus ipse.

Vt nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam vnam natura, duas dedit omnibus aures.

Quæ seruare voles, ne crebrò inuisere parce:
Namq; minus furem metuunt, quæ sæpe videntur.

Blanditur primo, sed perdit inertia famam:
Aspera res primo est, sed fert industria laudem.

Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha:
Cum vino indulges, igni puer adiicis ignem.

Fac tibi sit vultus comis, sermoq́; modestus:
Sic multos facilè tibi conciliabis amicos.

Semper opum studio præfer virtutis amorem.
Non opibus virtus, sed opes virtute parantur.

Disce, & quæ discis, memori sub pectore conde,
Aut facies, tantundem ac si cribro hauseris vndam.

Irasci noli temerè. nil fœdius ira:
Quam quæcumq; mouere solent, ea temnere laus est.

Venti agitant celsis positas in montibus ornos,
A quibus in media tuta est arbuscula valle.

Sic

Sic & opes agitant maiora pericula magnas:
Tutior angustos comitatur vita penates.

Pauca loqui puero, sed tempestiua, decorum est:
Hæc etenim ingenium res indicat, illa pudorem.

Scire cupis, quæ sit famæ via certa parandæ?
Talem te præsta, qualem te poscis haberi.

Verbera non metuet, metuet qui iussa magistri:
Hæc qui contemnet, meritò miser illa timebit.

Quàm felix puer est, virtus in quo anteit annos.
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant:
Et spectant cupidè, & felicia cuncta precantur.
At contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis, & vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipse illos satis aspicit æquis.

Non tantùm in præsens obsunt peccata: sed hoc plus,
Ad mala quod procliuẽ animũ adsuetudine reddũt.

Quæ bona sunt, sectare: etiam si dura videntur
Principio. longus paulatim ea molliet vsus.

Acceptum officium memora atq; extolle: sed abs te
Collatum extenua, & potiùs sine prædicet alter.

Vtili-

Utilitas quoties pugnare videtur honesto,
Ne dubitare quidem fas est, quin vincat honestas.

Pauca quidem hæc: sed quæ studio seruata perenni
Mirificos fructus progressu temporis edent.
Adspiret tantum cœptis Deus: omnia cuius
Consilio æterno & certa ratione reguntur.
Quem tu & luce puer prima, cum strata relinquis
Impiger, & dulcem repetis cum vespere somnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis.
Ille tibi ingeniumq́ sagax, corpusq́ salubre,
Et multò meliora dabit. diffidere noli.
Tu modò ad illius semper refer omnia laudem.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, DE PARTV VIRGINIS.

VNA CVM EIVSDEM SELECTIS QVIBVSDAM POEMATIBVS LONGE elegantißimis.

INDICEM HORVM VERSA pagella continet.

INGOLSTADII,

Anno cIɔ. Iɔ. XXCIIII.

Index Poëmatum

JACOBI SANNAZARII.

CLEMENTI VII. PON. MAX. ACTIVS SYNCERVS.

Magne parens, custosq́ hominum, cui ius datur uni
Claudere cœlestes, & reserare fores:
Occurrent si qua in nostris malè firma libellis,
Deleat errores æqua litura meos.
Imperiis venerande tuis submittimus illos:
Nam sine te recta non licet ire via.
Ipse manu, sacrisq́ potens Podalyrius herbis
Vlcera Pæonia nostra leuabis ope.
Quippe mihi toto nullus te præter in orbe
Triste salutifera leniet arte malum.
Rarus honos, summo se præside posse tueri:
Rarior, à summo præside posse legi.

MATRI

MAGNÆ  VIRGINI

SACRVM

Solennes tibi Diua parens, nunc ACTIVS *aras*
Ponit, & incensis mascula thura focis:
Comparibus veneranda premit modò tempora sertis,
Tempora gemmatis fulgida sideribus:
Et modò sancta nouis celebrat tua numina sacris,
Soluit & integra debita vota fide:
Qualiacunq; tua contexit munera laudi,
Et tibi sacratos dedicat ante pedes.
Tu mundi Regina volens de vertice Cæli
Aspice, & inuicto numine Diua faue.

B. Z.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, VIRI PATRITII de partu Virginis.

LIBER PRIMVS.

VIRGINEI *partus, magnoq; aequaeua parenti*
Progenies, superas coeli quae missa per auras
Antiquam generis labem mortalibus aegris
Abluit, obstructiq; viam patefecit olympi,
Sit mihi Coelicolae primus labor: hoc mihi primum
Surgat opus. Vos auditas ab origine caussas,
Et tanti seriem (si fas) euoluite facti.
Nec minus ô Musae vatũ decus, hîc ego vestros
Optârim fonteis, vestras nemora ardua rupeis:
Quandoquidem genus è coelo deducitis: & vos
Virginitas sanctaq; iuuat reuerentia famae.
Vos igitur, seu cura poli, seu Virginis huius
Tangit honos, monstrate viam, qua nubila vincam.

Et mecum immensi portas recludite cœli.
Magna quidem, magna Aonides, sed debita posco,
Nec vobis ignota: etenim potuistis & antrum
Adspiceret, & choreas: nec vos orientia cœlo
Signa, nec Eoos reges latuisse putandum est.
Túque adeo spes fida hominum, spes fida Deorum
Alma parens, quam mille acies, quæque ætheris alti
Militia est, totidem currus, tot signa, tubæque,
Tot litui comitantur, ouantíque, agmina gyro
Adglomerant: niueis tibi si solennia templis
Serta damus: si mansuras tibi ponimus aras
Exciso in scopulo, fluctus vnde aurea canos
Despiciens, celso si culmine Mergilline
Adtollit, nautisque procul venientibus offert:
Si laudes de more tuas, si sacra, diemque,
Ac cœtus latè insigneis, ritusque dicamus.
Annua felicis colimus dum gaudia partus:
Tu vatem ignarumque via, insuetumque labori
Diua mone, & pauidis iam læta adlabere cœptis.
Viderat æthereа superûm regnator ab arce,
Vndique collectas vectari in Tartara prædas:
Tisiphonemque imo conantem cuncta profundo
Vertere, & immaneis stimulantem ad dira sorores:
Nec iam homini prodesse, alto quòd semina cœlo
Duceret, aut varios animum excoluisset ad vsus:
Tantum letiferæ poterant contagia culpæ.

Tum

Tum pectus Pater æterno succensus amore,
Sic secum: Ecquis erit finis? tantísne parentum
Prisca luent pœnis seri commissa nepotes?
Ut quos victuros semper, superisque crearam
Penè pareis, tristi patiar succumbere letho,
Informeisq; domos, obscuráque regna subire?
Non ita: sed diuûm potiùs reuocentur ad oras,
Ut decet, & manuum poscunt opera alta mearum:
Desertosque foros vacuíque sedilia cœli
Actutum complere parent: legio vnde, nefandis
Acta odiis trepidas ruit exturbata per auras.
Quumque caput fuerit, tantorumq; vna malorum
Fœmina principium, lachrymásq;, & funera terris
Intulerit: nunc auxilium ferat ipsa, modumque,
(Quà licet) afflictis imponat fœmina rebus.
Hæc ait: & celerem stellata in veste ministrum,
Qui casta diuina ferat mandata puellæ,
Adloquitur, facie insignem, & fulgentibus alis.
Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum,
Fide vigil, pars militiæ fortissima nostræ,
Te decet ire, nouumque in secula iungere fœdus:
Nunc animũ huc aduerte, atq; hæc sub pectore serua
Est vrbeis Phœnicum inter, latéque fluentem
Iordanem, regio nostris sat cognita sacris,
Iudæam appellant, armisque, & lege potentem.
Hic claris exorta atauis, vatumque, ducumque

Antiquum genus, & dignis licet aucta hymenæis,
Pectoris inlæsum Virgo mihi casta pudorem
Seruat adhuc nullos non seruatura per annos:
(Mirus amor) seniumq; sui venerata mariti
Exiguis degit thalamis, & paupere tecto,
Digna paulò regnare, alioq; effulgere Diuûm
Concilio, & nostros æternum habitare penates.
Hanc mihi virginibus iampridem ex omnibus unã
Delegi, prudensq; animo interiore locaui:
Ut foret, intacta sanctum quæ numen in aluo
Conciperet, ferretq; pios sine semine partus.
Ergo agè, nubiuagos molire per aëra gressus:
Deueniensq; locum castas hac iussus ad aureis
Effare, & pulchris cunctantem hortatibus imple:
Quandoquidem genus è Stygiis mortale tenebris
Eripere est animus, sæuosq; arcere labores.
Dixerat. ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, scindit nebulas, atque aëra tranat
Ima petens, pronusq; leueis vix commouet alas.
Qualis, vbi ex alto notis Mæandria ripis
Prospexit vada, seu placidi stagna ampla Caystri,
Præcipitem sese candenti corpore cycnus
Mittit agens, iamq; implumis segnisq; videtur
Ipse sibi, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis: sic ille auras, nubeisq; secabat.
Ast vbi palmiferæ tractu stetit altus Idumes:

Reginam

Reginam haud humileis voluentem pectore curas
Adspicit. atq; illi veteres de more Sibyllæ
In manibus: tum si qua æuo referanda nepotum
Fatidici casto cecinerunt pectore vates.
Ipsam autem securam animi, lætamq; videres
Autorem sperare suum. namq; adfore tempus,
Quo sacer æthereis delapsus spiritus astris
Incorrupta piæ compleret viscera matris,
Audierat. Proh quanta alti reuerentia cœli
Virgineo in vultu est? oculos deiecta modestos
Suspirat: matremq; Dei venientis adorat:
Felicemq; illam humana nec lege creatam
Sæpe vocat: nec dum ipsa suos iam sentit honores.
Cum subitò ex alto iuuenis demissus olympo,
Purpureos retegit vultus: numenq; professus
Inceßuq; habituq; ingenteis explicat alas:
Ac tectis latè insuetum diffundit odorem.
Mox prior hæc. Oculis salue lux debita nostris,
Iampridem notum cœlo iubar, optima Virgo:
Cui sese tot dona, tot explicuêre merenti
Diuitiæ superûm: quicquid rectiq;, probiq;
Aeterna de mente fluit: purißima quicquid
Ad terras summo veniens sapientia cœlo
Fert secum, & plenis exundans gratia riuis.
Te genitor stabili firmam sibi lege sacrauit,
Perpetuos genitor cursus qui dirigit astris:

Mansuramq́; tuo fixit sub pectore sedem.
Idcirco cœtus inter veneranda pudicos
Vna es, quam latis cœli in regionibus olim
Tot diuûm celebrent voces. proh gaudia terris
Quanta dabis? quantis hominum subcurrere votis
Incipies? Stupuit confestim exterrita Virgo:
Demisitq́; oculos: totosq́; expalluit artus.
Non secus, ac conchis si quando intenta legendis
Seu Micone parua, scopulis seu fortè Seriphi
Nuda pedem virgo, læta noua gloria matris
Veliferam aduertit vicina ad littora puppim
Aduentare, timet. nec iam subducere vestem
Audet, nec tutò ad socias se reddere cursu:
Sed trepidans silet, obtutuq́; immobilis hæret.
Illa Arabum merceis, & fortunata Canopi
Dona ferens, nullis bellum mortalibus infert:
Sed pelago innocuis circumnitet armamentis.
Tum rutilus cœli alipotens, cui lactea fandi
Copia, diuiniq́; fluunt è pectore rores
Ambrosiæ, quibus ille acreis mulcere procellas
Possit, & iratos pelago depellere ventos:
Exue Dia metus animo, paritura verendum
Cœlitibus numen, speratáq́; gaudia terris,
Æternamq́; datura venis per secula pacem.
Hæc ego siderea missus tibi nuntius arce,
Sublimis celeres vexit quem penna per auras,

Vaticinor

Vaticinor non insidias, non nectere fraudes
Edoctus. longè a nostris fraus exulat oris.
Quippe tui magnum magna incrementa per orbem
Ipsa olim partus Virgo sobolisq; beata
Adspicies. vincet proauos: proauitaq; longo
Extendet iura imperio: populisq; vocatis
Ad solium, latè ingentes moderabitur vrbeis:
Nec sceptri iam finis erit, nec terminus aui,
Quin iustis paulatim animis pulcherrima surget
Religio. non monstra, piis sed numina templis
Placabunt casta diris sine cædibus ara.
Dixerat: illa animum sedato pectore firmans,
Substitit, & placido breuiter sic ore locuta est.
Conceptúsne mihi tandem partúsq; futuros
Sancte refers? méne attactus perferre virileis
Posse putas? cui vel nitenti matris ab aluo
Protinus inconcussum, & ineluctabile votum
Virginitas fuit vna: nec est cur soluere amata
Iura pudicitiæ cupiam, aut hæc fœdera rumpam.
Imò istas, quod tu minimè iam rere, per aureis
Excipit interpres, fœcundam spiritus aluum
Influet, implebísq; potenti viscera partu,
Flammifero veniens cœlo, atq; micantibus astris.
At tu virgineum mirata tumescere ventrem,
Herebis pauitans: demùm formidine pulsa,
Gaudia seruati capies inopina pudoris.

Neúe hæc vana putes, dictis aut territa nostris
Indubites: sera dudum concessa senecta
Dona oculos pone ante tuos. Nam sanguine auito
Iuncta tibi mulier (sterilis licet illa, grauiq́;
Pressa æuo) haudquaquã speratũ hoc tẽpore pignꝰ
Fert vtero, & felix sexto sub mense laborat.
Vsque adeò magno nil non separabile cœlo est.
His dictis, Regina oculos ad sidera tollens
Cœlestumq́; domos superas, atq; aurea tecta,
Adnuit, & taleis emisit pectore voces:
Iam iam vince fides, vince obsequiosa voluntas:
En adsum: accipio venerans tua iussa, tuumq́;
Dulce sacrũ pater omnipotẽs: nec fallere vestrũ est
Cœlicolæ: nosco crineis, nosco ora, manusq́;
Verbaq́;, & aligerũ cœli haud variantis alumnum.
Tantum effata, repentè noua micuisse penateis
Luce videt: nitor ecce domum compleràt: tibi illa,
Ardentum haud patiens radiorũ, ignisq́; corusci,
Extimuit magis. At venter (mirabile dictu)
(Non ignota cano) sine vi, sine labe pudoris,
Arcano intumuit verbo. Vigor actus ab alto
Irradians, Vigor omnipotẽs, Vigor omnia cõplens
Descendit, Deus ille, Deus: totosq́; per artus
Dat sese, miscetq́; vtero: quo tacta repentè
Viscera contremuere: silet natura pauetq́;
Adtonita similis: confusaq́; turbine rerum

Inso-

Insolito, occultas conatur quærere caussas.
Sed longè vireis alias, maioraq́ue sentit
Numina: succutitur tellus: læuumq́ue sereno
Intonuit cœlo rerum cui summa potestas,
Aduentum nati genitor testatus: vt omnes
Audirent latè populi, quos maximus ambit
Oceanus, Tethysq́ue, & raucisona Amphitrite.
Hos inter medios cœli terraq́ue fragores
Aequatis properans volucer pulcherrimus alis,
Omnia dum trepidant, discesserat, altaq́ue nabat
Per loca, cum virgo celsis in nubibus illum
Alternantē humeros videt atque immensa secantem
Ventorum spatia, & iam versiculore per auras
Fulgentem pluma, ac cœli conuexa petentem.
Quem demùm tali adspectans sermone secuta est.
Magne ales, celsi decus ætheris, inuia rerum
Qui penetras, longeq́ue & nubila linquis, & Euros
Anteuolans, læto seu te felicia tractu
Sidera, queq́ue suos voluuntur signa per orbeis
Expectant redeuntem: alti seu certa reposcit
Crystalli domus, & vitrei plaga lucida regni:
Seu propiora vocant supremo tecta Tonanti,
Qua patet in summum regio flammantis olympi,
Teq́ue amor, & liquidis flagrans alit ignibus aura:
I precor, i nostrum testis defende pudorem.
Nec plura his: tum verò aciē deflectit, & omneis.

Haud

Haud mora sollicito percurrit lumine monteis:
Agnatamq; animo conceptaq; pignora versat,
Multa putans: serumq; vteri miratur honorem.
Intereà maneis descendit fama sub imos,
Pallenteisq; domos veris rumoribus implet:
Optatum aduentare diem, quo tristia linquant
Tartara, & euictis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemq; vlulatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis: aduerso qui carceris antro
Excubat insomnis semper, rituq; trifauci
Horrendùm, stimulante fame, sub noctè profunda
Personat, & morsu venienteis adpetit vmbras.
Tum verò heroës lætati, animæq; piorum,
Ad cœlum erectas cœperunt tendere palmas,
Atq; hic insignis funda, citharaq; decorus,
Insignis sceptro senior, per opaca locorum
Dum graditur, nectitq; sacros diademate crineis:
Dum legit effœtos Lethæo in gramine flores,
Quæ tacitè labuntur aquæ, mutæq; volucres
Ducunt per sterileis æterna silentia ramos:
Adtonita subitos concepit mente furores,
Diuinamq; animam & consueto numine plenus,
Intorquens oculos, venientia fata recenset.
Nascere magne puer: nostros quem soluere nexus,
Et tantos genitor voluit perferre labores.
Magne puer, cui se hæc tandem spolianda reseruant

Regna,

Regna, tot heu miseris hominum ditata ruinis,
Nascere, venturum si te mortalibus olim
Pectore veridiço promisimus: igneus vt nos
Viribus adflatos cœlestibus ardor agebat
Insinuans: si sacra peregimus, & tua latè
Iussa per immensum fama vulgauimus orbem.
En ridet pax alma tibi: simul ecce potentes
Impulsi cœlo, diuisq; autoribus acti
Orbe alio properant Reges. Saluete beati
Aethiopes, hominum sanctum genus, astra secuti:
Scilicet huc vestris adfertis munera regnis.
Accipe dona puer: túq; ô sanctissima mater
Sume animos: iã te populiq́;, ducesq́; frequentant
Littore ab extremo, & odoriferis Nabathæis.
Ille autem aurata fulgens in veste sacerdos
Iam canus, iam maturo venerabilis æuo
Quid sibi vult? sacras puerum qui sistit ad aras,
Sic venerans? lætoq; inspectans æthera vultu?
Seq; dehinc facili clausurum lumina fato,
Exclamat: quod speratum per secula munus,
Promissamq; diu pacem, certamq; salutem
Terrarum exorta liceat sibi luce tueri
Optanti seniumq́; ideo, parcæq; trahenti.
Sed quid ego (heu) dira conspersos cæde penateis
Infantum, & subito currenteis sanguine riuos
Adspicio? tristisq; meas vagitus ad aureis.

Fertur?

Fertur? iò scelus est partus iugulare recenteis:
Crudelis, quid agis? nihil hi meruêre: neq; illum,
Quem petis, insano dabitur tibi perdere ferro.
Nunc nunc ô matres scelerata abscedite terra,
Dum licet, inq; sinu pueros abscondite vestros:
Nam ferus hostis adest. propera iam regia virgo,
Inq; Parethonias transfert tua pignora terras:
Admonet hoc magnum genitor qui tẽperat orbem.
Tuta domus, tutiq; illic tibi Dia recessus.
Verùm vbi bis senas hyemes, bis senaq; nati
Solstitia, & tantos superaueris anxia casus:
Ingenteis imo duces de pectore questus,
Aureaq; aßiduis pulsabis sidera votis.
Nam puerum, quamuis per compita sæpe vocatum,
Sæpe expectatum consueta ad gaudia mensæ,
Perquires nequicquam amens: nec chara potentẽ
Oscula, nec sera redeuntem nocte videbis.
Treisq; illum totos mœrenti pectore soles,
Et totidem trepidas somni sine munere nocteis
Omnia lustrantes, quæstu omnia confundentes
Flebitis, indigno perculsi corda dolore
Tuq;, senexq; tuus. Quarto sed Lucifer ortu
Purpureos tremulo cum tollet ab æquore vultus
Inuentum dabit, & quærentibus offeret vltro.
O quas tunc lachrymas, ô quæ tunc oscula mater,
Quos dabit amplexus, misto inter gaudia fletu:

Cum

Cum natū ante aras Patris, & delubra sedentem.
Mulcentemq́; senes dictis, animosq́; trahentem,
Adspicies gauisa? ipso admirante senatu
Primitias pueri ingenteis, nec inane sagacis
Pectoris indicium, nataq́; ad grandia mentis.
Tu verò quid in arma ruis scelerata iuuentus,
Quid galeas, enseisq́; virûm, & fulgentia cerno
Agmina? scutasq́; procul sub nocte cohorteis
Obscura, & crebris radianteis ignibus hastas?
Tótne vnū telis petitur caput? heu furor, heu mens
Caca hominum, semperq́; odiis adcincta nefandis.
Iamq́; oleas, montemq́; sacrum circumq́; supraq́;
Cinxere, & longa lucum obsedere corona.
Quò feror? ecce trahūt manibus post terga reuinctis
Insontem: modò quem latas mira illa per vrbeis
Edentem, patrisq́; palam pracepta docentem
Adtoniti stupuere illum regemq́; Deúmq́;,
Humanaq́; ducem vita, fontemq́; salutis
Haud veriti populo circum plaudente fateri.
Heu facinus: mortémne etiam, & crudele minātur
Supplicium? sauos stringunt in vulnera fasceis
Horrenteisq́; parant paliuro intexere dumos,
Tormenti genus: & capiti premere inde coronam
Vulnificam. Viden' alternos vt arundinis ictus
Incutiunt? geminantq́; truci conuitia lingua?
Parte alia ingenteis video de stirpibus imis

Euerti palmas, altas ad sidera palmas,
Infelix opus, vnde hominum lux illa, decorq́;
Pendeat. ah trepidis dirum, & miserabile terris:
Cum patri æthereo moriens liuentia pandet
Brachia, turpatosq́; atra de morte capillos,
Oraq́;, demissosq́; oculos, frontemq́; cruore
Iam madidam, & lato patefactum pectus hiatu
At mater, non iam mater, sed flentis, & orba
Infelix simulachrum ægra ac sine viribus vmbra,
Ante crucem demissa genas effusa capillum
Stat lachrymans, tristiq́; irrorat pectora fletu.
Ac si iam comperta mihi licet ore profari
Omnia: defessi spectans morientia nati
Lumina, crudelis terras, crudelia dicit
Sidera: crudelem sese, quòd talia cernat
Vulnera sæpe vocat: tum luctisono vlulatu
Cuncta replent, singultanti sic incipit ore:
Incipit, & duro figit simul oscula ligno
Exclamans: quis me miseram, quis culmine tanto
Deiectam subitis inuoluit, gnate, procellis?
Nate patris vires, sanguis meus, vnde repentè
Hæc fera tempestas? quis te mihi fluctus ademit?
Quæ manus indignos fœdauit sanguine vultus?
Cui tantum in superos licuit? bella impia cœlo
Quis parat? hunc ego te, post tot malè tuta labores
Postq́; tot infelix elapsa incommoda vitæ

Adspi-

Adſpicio? túne illa tua lux vnica matris?
Túne animæ pax, & requies ſpesq́ ultima noſtra
Sic raperis? ſic me ſolam, exanimemq́ relinquis?
O dolor. extincto iam te pro fratre ſorores,
Pro natis toties exorauêre parentes:
Aſt ego pro nato, pro te Dominoq́, Deoq́
Quem miſera exorem? quò triſtia pectora vertam?
Cui quærar? ô tandem dira me perdite dextra:
Me potiùs (ſi qua eſt pietas) immanibus armis
Obruite: in me omneis effundite pectoris iras:
Vel tu (ſi tanti eſt hominum genus) eripe matrem
Quæ rogat, & Stygias tecũ duc nate ſub vmbras:
Ipſa ego te per dura locorum inamœnaq́ viuis
Regna ſequar. liceat rumpentem cernere portas
Aeratas: liceat pulchro ſudore madentem
Euerſorem Erebi materna abſtergere dextra.
Hos illa plureis fundet de pectore queſtus.
Quod ſcelus Eois vt primum cernet ab vndis
Sol: indignanteis retro conuertere currus
Optabit, fruſtraq́ ſuis luctatus habenis,
Quod poterit tandem, auratos ferrugine crineis
Inficiet, mœſtamq́ue diu ſine lumine frontem
Oſtendet terris: vt qui iam ploret ademptum
Autorem, regemq́ue ſuum. quin ipſa nigranti
Fratris ab ore timens, & tanto concita caſu
Cynthia, cæruleo vultus obnubet amictu,

Auertetq; oculos, lacrymasq; effundet inaneis.
At contrà horrisono tellus concussa tremore,
Cum gemitu fremet: & ruptis excita sepulcris
Emittet simulacra. Quid ô, quid abire paratis
Illustres animæ? non omnibus hæc data rerum
Conditio, paucis remeare ad lumina vitæ
Concessum. Sed tempus erit, cùm Martia rauco
Mugitu cœlum quatiet tuba: cumq; repentè
Corpora per terras omneis latè omnia surgent.
Nunc autem sat Tartarei si claustra tyranni
Effringat Rex ille: & caligantia pandat
Atria: diffugiant immisso lumine diræ
Eumenidum facies iactis in terga colubris.
Quas atro vix in limo Phlegethontis adustum
Accipiat nemus, & fumanti condat in vlua.
Tum variæ pestes: & monstra horrentia Ditis
Ima petant: trepident Briareia turba, Cerastæ,
Semiferumq; genus Centauri, & Gorgones atræ,
Scyllæq;, Sphingesq;, ardentisq; ora Chimeræ,
Atq; Hidra, atq; Caues, & terribiles Harpyiæ.
Ipse catenato fessus per tartara collo
Ducetur Pluton: tristi quem murmure circum
Inferni fractis mœrebunt cornibus amnes:
At nos virginea præcincti tempora lauru,
Signa per extentos cœli victricia campos
Tollemus, lætoq; ducem clamore sequemur:

Victor

Victor iò, bellator iò, tu regna profunda,
Tu maneis, Erebumq́; potestatesq́; coërces
Aërias, lethumq́; tuo sub numine torques.
Ille alto temone sedens, leuibusq́; quadrigis
Lora dabit volucresq́; reget placido ore iugaleis,
Non iam cornipedum ductos de semine equorum,
Nec qui consuetas carpant præsepibus herbas.
Primus enim valido subnixus eburnea collo
Fert iuga formosi pecoris custòdia Taurus,
Stellatus minio Taurus: cui cornua fronti
Aurea, & auratis horrent palearia setis:
Perq́; pedes bifidæ radiant noua sidera gemmæ.
Torua boui facies: sed qua non altera cælo
Dignior, imbriferum quæ cornibus inchoët annum,
Nec quæ tam claris mugitibus astra lacessat.
Et iuxtà nemorum terror, rexq́; ipse ferarum
Magnanimus nitet ore Leo: quem fusa per armos
Conuestit iuba: pectoribus generosa superbit
Maiestas non iam vt cadeis, aut prælia sæuus
Adpetat (innocuis armantur dentibus ora:
Grataq́; tranquillo ridet clementia vultu)
Sed cælo vt spatietur, & alta adsidera tendat.
Hos pòst insequitur pulchros pennata per artus
Alituum regina: sacra cui vertice plumæ
Adsurgunt: flauoq́; caput diadémate fulget.
Ipsa ingens alis, ingentis fulminis instar

Supra hominũ tecta, ac monteis, supraque volucres
Fertur, & obstanteis cursu petit obuia nubeis.
Vltimus humana sociat ceruice laborem
Alatus tergo iuuenis: cui luthea læuo
Ex humero chlamys Eois insperſa lapillis
Pendet: eam variant centum longo ordine Reges,
Antiquum genus, & Solymæ primordia gentis,
Ostro intertexti. veros cognoscere vultus
Est illic: veros monteis, & flumina credas:
Et vera extremo Babylon nitet aurea limbo.
Tali sidereas curru subuectus in auras,
Indutos referent spoliis pallentibus axeis,
Perueniet, recto qua panditur orbita tractu
Lactea, & ad sedeis ducit candentis olympi.
Illic auratæ muros mirabimur vrbis,
Auratasque domos & gemmea tecta, viásq;
Stelliferas: vitreosq́; altis cum montibus amneis.
Atq; ibi seu magni celsum penetrale Tonantis,
Siue alios habitare lareis: at tecta minorum
Cœlicolûm dabitur, stellas numerare licebit,
Surgentemq́; diem pariter, paritérq; cadentem
Sub pedibus spectare, & longos ducere soleis,
Longáq; venturis protendere nomina seclis.
Hæc vbi dicta: patres plausu excepêre frequentes
Fatidicum vatem, sublatúmq; aggere ripæ
Adtollunt humeris, lætúmq; per auia ducunt.

Intre-

Intremuêre Erebi sedes, obscuráque Ditis
Limina. suspirans imo de corde Megara
Dat gemitum, & toruas spectat sine mente sorores.
Tum caudam exululans sub ventre recondidit atrã
Cerberus, & sonteis latratu terruit vmbras:
Commotísque niger Cocitus inhorruit antris;
Et vaga Sisyphiis hæserunt saxa lacertis.

LIBER SECVNDVS.

R Egina vt subitos imo sub pectore motus
Sensit, & adflatu diuini numinis aucta est:
Haud mora, digressu volucris suspensa ministri,
Exurgit: monteisque procul contendit in altos
Festinans. ea cura animo vel prima recursat,
Matronam defessam æuo, cui nulla fuissent
Dona vteri (mirum dictu) iam segnibus annis
Fœcundam, sextíque grauem sub pondere mensis
Protinus adfari, vocémque audire loquentis,
Et spectare oculis sterili data pignora matri.
Ergo adcincta via nullos studiosa paratus
Induitur, nullo disponit pectora cultu:
Tantum albo crineis iniectu vestis inumbrans:

Qualis

Qualis stella nitet, tardam quæ circuit Arcton
Hyberna sub nocte: aut matutina resurgens
Aurora: aut vbi iam Oceano Sol aureus exit.
Quaq; pedes mouet, hàc casiã terra alma ministra
Pubenteisq; rosas, nec iam mœstos hyacinthos,
Narcissumq;, crocumq;, & quicquid purpureũ ver
Spirat hians, quicquid florũ per gramina paßim
Subgerit immiscens varios natura colores.
Parte alia celeres sistunt vaga flumina cursus:
Exultant vallesq; caua collesq; supini:
Et circumstantes submittunt culmina pinus:
Crebraq; palmiferis erumpunt germina syluis.
Omnia lætantur. cessant Euriq;, Notiq;:
Cessat atrox Boreas. tantum per florea rura
Regna tenent Zephyri, cœlumq; tepentibus auris
Mulcent, quaq; datur, gradientem voce salutant.
Vt ventũ ad sedeis: vultu longæua verendo
Obcurrit coniux iusti senis: atq; repentè
Plena Deo, subitoq; vteri concussa tumultu,
Excipit amplexo venientem, ac talibus infit:
O decus, ô laudis mulier dux præuia nostræ,
Cœlitibus sola humanum quæ digna reperta es
Conciliare genus, cœtusq; adtollere ad astra
Fœmineos: gremium cuius diuinus obumbrat
Palmes, inexhaustis terras qui compleat vuis:
Quis me, quis tanto superûm dignatur honore?

Túne

Túne procul visura humileis Regina penateis
Venisti? túne illa mei pulcherrima regis
Mater ades? viden' vt nostra puer excitus aluo,
Cum mihi vix primas vocis sonus ambiat aureis,
Iam salit, & Dominum ceu præcursurus adorat.
Felix Virgo animi, felix, cui tanta mereri
Credulitas dedit vna: in te nam plena videbis
Omnia, quæ magni verax tibi dixit olympi
Aliger, arcano delapsus ab æthere cursu.
Illa sub hæc: Miranda alti quis facta Tonantis,
O mater, meritas cœlo quæ tollere laudes
Vox queat? exultant dulci mea pectora motu
Authori tantorum operum: qui me ima tenentem,
Indignamq; humilemq; suis respexit ab astris.
Munere quo genteis felix ecce vna per omneis
Iam dicar: nec vana fides: ingentia quando
Ipse mihi ingenti cumulauit munera dextra
Omnipotens, sanctumq; eius per secula nomen,
Et quæ per magnas clementia didita terras
Exundat, quæ passim omneis sua iussa verenteis
Vsq; fouens, nullo neglectos deserit æuo.
Tum fortem exertans humerũ, dextramq; coruscã,
Insanos longè fastus, menteisq; superbas
Dispulit afflixitq; super: solioq; potenteis
Deturbans dedit in præceps, & ad ima repressit:
Extollensq; humileis aliena in sede locauit:

Pauperiémque famémque fugans, impleuit egenos
Diuitiis: vacuos contrà nudósque reliquit,
Qui nullas opibus metas posuêre parandis.
Postremo sobolem (neq; enim dare maius habebat)
Æternam genitor sobolem, seclisq; priorem
Omnibus, æqualémque sibi de sanguine fidi
Suscepit pueri (tantis quo honoribus vnum
Deerat adhuc) non ille animi, morúmque suorum
Oblitus, quippe id meditans promiserat olim
Sacrificis pro auorum atauis, stirpíque nepotum.
Hæc Virgo. At senior, nullus cui vocis adempta
Vsus erat, supplex nunc gressum obseruat euntis,
Virgineosq; pedes, tactæq; dat oscula terræ:
Nunc lætus tollit dupliceis ad sidera palmas:
Quoq; potest solo testatur gaudia nutu:
Ostendítque manu vatum tot scripta priorum:
Quæ quis agente Deo, quondã, dum vita manebat,
Edidit, & populis liquit celebranda futuris:
Scilicet effusum tacitis de nubibus imbrem
Lanigerum in tergus: germénque è stirpe vetusta
Arboris exurgens: incombustumq; sonoro
Igne rubum: & priscis stellam de patribus ortam.
Quæ dum cuncta graui, venturi haud inscia, visu
Percurrit relegens, alto cum corde volutat
Conceptus Virgo insolitos, & ab æthere lapsam
Progeniem, pluuiæ in morem, quæ vellere molli

Excepta haud vllos sonitus, nec murmura reddit.
Séque rubum, virgámque, alto sed denique missam
Sidus grande mari prorsum agnoscitq́; videtq́;.
Non tamen ausa loqui, tanto aut se dicere dignam
Munere: sed tacito affectu tibi maxime diuûm
Grateis rector agit, mentémque ad sidera tollit.
Et iam Luna cauum ter luce repleuerat orbem,
Ter solitas de more intrârat caca latebras:
Cum Virgo in patriam reditum parat, omnia quādo
Certa videt. subeunt dilecta grata parentis
Adloquia, adsuetaq́; piis sermonibus ades:
Quaq́; salutantis voces, ac verba ministri
Audiit, & primos excepit cella volatus:
Cella charis superûm lustrata, & cognita cœlo.
Ergo iter incœptum charis digressa propinquis
Adcelerat, relegítque viam per nota locorum:
Nec mora, nec requies vsquam: nec lumina flectit,
Cœlicolûm quamuis sacro circundata cœtu,
Donec ad optatum peruenit sedula limen.
Atque ibi dum consueta suo cum pectore versat
Gaudia, paulatim maturi tempora ventris
Aduentare videt, scires iam numen in illa
Grande tegi, nullus adeo sentire dolores
Dat superûm genitor, nulláque ex parte grauari.
Interea terra parta iam pace, marique
Augustus pater æratis bella impia portis

Clau-

Clauserat, & validis arctarat vincta catenis:
Dumq́ue suas regnator opes, vireisq́ue potentis
Imperij, exhaustasq́ue armis ciuilibus vrbeis
Nosse cupit, magnum censeri iusserat orbem,
Describi populos latè numerumq́ue referri
Cunctorum ad sese capitum, quæ maxima tellus
Sustinet, & rapido complectitur æquore Nereus.
Ergo omneis lex vna mouet, sua nomina mittunt,
Qui monteis Aurora tuos, regna illa feracis
Armeniæ, qui conualleis, atque alta Niphatæ
Saxa tenent, longè pictis gens nota pharetris,
Gens fineis lustrare suos non segnis, & arcu,
Quà vagus Euphrates, quà deuius exit Araxes,
Felices tractus, & latè munere diuûm
Concessos defendere agros bene olentis amomi:
Censetur Tauri passim, censetur Amani
Incola, prædatorq́ue Cilix: & Isaurica quisquis
Rura domat: quicunque tuas Pamphylia syluas:
Quiq́ue Lycaoniam felicia iugera: quiq́ue
Flauentem curuis Lyciam perrumpit aratris
Iam clari bello Leleges, populisq́ue propinqui
Iussa obeunt: gens quæque suo dat nomina ritu.
Qui ceramon, bimaremq́ue Gnidon, quiq́ue alta tuẽtur
Mœnia, dispositis vbi circumsepta columnis
Tollit se niuei moles operosa sepulchri,
Barbara quam rapto posuit regina marito:

Et

Et quos Mæandri, toties ludente recursu,
Vnda rigat, rigat ipso suo mox amne Cayster.
Herboso niueos dum margine pascit olores.
Quosq́ metalliferis veniens Pactolus ab antris
Circuit, & rutila non parcior Hermus arena.
Mysorum manus omnis: Apollineaq́ Celenæ:
Idaq́ Rhœtaaq́ arces, celebrataq́ Musis
Pergama, Sygeumq́ iugum Priameïa quondam
Regna armis, ducibusq́, ducũ nunc nota sepulchris:
Qua nauta, augustum dum præterit Hellespontum,
Ostendens sociis, hoc, inquit, littore flentes
Nereïdes steterant, passis cum mœsta capillis
Ipsa suum de more Thetis clamaret Achillem.
His & Bithyna classes, & pontica latè
Adcedit regio. paret scopulosa Carambis:
Parendi studio feruet simul alta Sinope:
Feruet Halys: quiq́ immensis procul annibus auctus
Cappadocum medios populos discriminat Iris:
Thermodoonq́, Halybesq́, adtritaq́ saxa Prome-
Præterea qua se Thracũ Mauortia tellus (theo.
Pandit, & algentem Rhodope procurrit in Æmum:
Quà Macedum per saxa ruit torrentibus vndis
Axius; vmbrosaq́ tegunt Halyacmona ripæ:
Quaq́ iacet diris omen Pharsalia bellis,
Et bis Romana ferales clade Philippi,
Conueniunt populi certatim, & iussa facessunt.

Vos

Vos etiam vestros his adiunxistis alumnos
Vicina passim vacuis iam mœnibus vrbes,
Antiqua Graiorum vrbes, gens optima morum
Formatrix, clara ingeniis, & fortibus ausis:
Seu quæ littoreos tractus, monteisq́ue tenetis:
Seu quæ per medias dispersæ exurgitis vndas.
Tum latus Epiri quà formidabile nautis
Adtollunt summo caput Acroceraunia cœlo.
Vrget opus iamq́ue Alcinoi dat regia censum,
Illyricaq́ue manus, impacatíque Liburni,
Littoráque Ionio passim pulsata profundo.
Nec tu cui latè imperium terraq́ue, marísque
Bellatrix peperit virtus, & Martius ardor,
Non populos, non ipsa tuas terra inclyta genteis
Describis; terra vna armis, & fœta triumphis,
Vna viris longè pollens, atque æmula cœlo:
Nubiferæ quam prœruptis anfractibus Alpes
Præcingunt, mediámque pater secat Apenninus,
Et geminum rapido fluctu circumtonat æquor.
Descripsêre suos (quamuis non axe sub vno)
Hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior vndis
Danubius, qui syluarum per vasta volutus,
Pascere non populos, non lambere desinit vrbeis,
Donec ad optatam rapido venit agmine Peucen.
Quin & proceras scrutatur Gallia syluas,
Gallia Cæsareis Latio dignata triumphis:

Quā

Quã Rhodanus, quã findit Arar, quã permeat ingẽs
Sequana, piscosóque interluit amne Garumna.
Tum quas piniferis genteis prærupta Pyrene
Rupibus, Herculeas prospectat ad vsq; columnas,
Cogit Anas: cogit ripa formosus vtraque
Duria, & albenti Bætis præcinctus oliua,
Auratamq; Tagus voluens sub gurgite arenam,
Quíque suo terras insignit nomine Iberus.
Parte alia vastas circumuocat Africa vireis:
Getuli, Maurique duces rimantur opaci
Atlantis nemora, & dispersa mapalia syluis.
Scribitur & vacuis vt quisq; inuentus arenis
Seu pastor, seu subcinctis venator in armis
Obseruans sauos latebrosa ad tesqua leones.
Massylûm quicunque domos, quicunque repostos
Hesperidum lucos, munitáque montibus arua
Incolit, & ramis natiuum decutit aurum:
Et qui vertenteis immania saxa iuuencos
Flectit arans: quà deuicta Carthaginis arces
Procubuêre, iacentq; infausto in littore turres
Euersa. Quantũ illa metus, quantum illa laborum
Vrbs dedit insultans Latio, & Laurentibus aruis?
Nunc passim vix relliquias, vix nomina seruans
Obruitur propriis non agnoscenda ruinis,
Et querimur genus infelix humana labare
Membra æuo: cum regna palam moriãtur, & vrbes.

Iamq;

Iamq; Macas idem ardor habet: venere volentes
Barcæi: venere suis Nasamones ab aruis:
Naufragas qui per Syrteis, infidaq; circum
Littora, mœrentum spoliis onerantur, & altos
Insiliunt nudi cumulos extantis arenæ,
Inq; suas vertunt aliena pericula prædas.
Postremo Psylli, Garamanticaq; arua tenentes:
Quiq; Cyrenæas suspendunt vomere glebas,
Laudatasq; legunt succis præstantibus herbas:
Quiq; Iouis palmeta, Hasbytarumq; recessus:
Marmaricas qui latè oras: qui pascua seruant
Ægypti, Meroësq;, sacer quos Nilus inundat,
Nilus ab æthereo ducens cunabula cœlo.
Nec minus & casta senior cum Virgine custos
Ibat, vt in patria nomen de more, genusq;
Ederet, & iussum non segnis penderet aurum.
Ille domum antiquam, & regnata parentibus arua
Inuisens, secum proauos ex ordine reges,
Claraq; facta ducum, pulchramq; ab origine gẽtem
Mente recensebat tacita: numerumq; suorum,
Quamuis tunc pauper, quamuis incognitus ipsis
Agnatis, longè aduenient explere parabat.
Iam fineis Galilæa tuos emensus, & imas
Carmeli valleis, quaq; altus vertice opacat
Rura Thabor, sparsamq; iugis Samaritida terram
Palmiferis, Solymas à læua liquerat arceis.

Cum

Cum simul è tumulo muros, ac tecta domorum
Prospexit, patriaq́ue agnouit mœnia terræ:
Continuò lachrymis vrbem veneratur obortis:
Intenditq́ue manus, & ab imo pectore fatur:
Bethlemiæ turres & non obscura meorum
Regna patrum, magniq́ue olim saluete penates,
Túque ô terra parens regnum, visuráque regem,
Cui sol & gemini famulantur cardinis axes,
Salue iterum te vana Iouis cunabula Crete
Horrescet, ponetq́ue suos temeraria fastus:
Mœnia te Dircæa trement, ipsamq́ue pudebit
Ortygiam geminos Latona extollere partus.
Parua loquor: prono veniet diademate supplex
Illa potens rerum, terrarúmque inclyta Roma:
Et septem geminos submittet ad oscula monteis.
Dixit, & extrema mouit vestigia voce:
Maturátque viam senior: tardúmque fatigat
Vectorem: & visas gressum molitur ad oras.
Et iam prona dies fluctus vrgebat Iberos,
Purpureas pelago nubeis, aurúmque relinquens.
Ecce autem magnis plenam conuentibus vrbem
Protinus, vt venêre, extremo è limine portæ
Adspiciunt. Mistum confluxerat vndique vulgus
Turba ingens. credas longinquo ex æquore vectas
Ad merceis properâsse, aut deuastantibus arua
Hostibus, in tutum trepidos fugisse colonos.

Cernere erat per'q; anfractus, per'q; arcta viarum
Cuncta replesse viros, confusóque ordine matres:
Permistos pecori agricolas, hos iungere plaustra:
Hos intendere vela, alios discumbere apertis
Porticibus, resono compleri cuncta tumultu:
Accensos variis lucere in partibus igneis
Quæ pater admirans, tacito dum singula visu
Percurrit, circumq; domos, & limina lustrat,
Nec superesse locum tecto videt: ibimus, inquit,
Quò Deus, & quò sancta vocant oracula patrum.
Est specus haud ingens paruis sub mœnibus urbis,
Incertum, manibúsne hominum genione potentis
Natura formatus, ut hæc spectacula terris
Præberet, tantosq; diu seruatus in usus,
Hospitio cœlum acciperet, cui plurima dorso
Incumbit rupes, pendentibus undiq; saxis
Aspera: & exesa cingunt latera ardua cautes:
Defunctis operum domus haud ingrata colonis.
Huc heros tandem superata ambage viarum
Sic monitus ducente Deo, cum coniuge sancta
Deuenit, multáque senex se nocte recepit.
Ac primum siccis ramalibus excitat ignem:
Stramineóque toro comitem locat, ægra cubantis
Membra super vestem inuoluens: mox adligat ipsos
Permulcens, iam non duros, iam sponte sequenteis
Quadrupedes, ut fortè aderat fœnile saligna

Subfultum crate, & palmarum vimine textum.
Nũc age, Castaliis quæ nunquã audita sub antris,
Musarúmue choris celebrata, aut cognita Phœbo,
Expediam: vos secretos per deuia calleis
Cœlicolæ, vos (si meruit) monstrate recessus
Intactos: ventum ad cunas, & gaudia cœli,
Mirandosq; ortus, & tecta sonantia sacro
Vagitu, stat ferre pedem, qua nulla priorum
Obuia sint oculis vatum vestigia nostris.
Tempus erat, quo nox tardis inuecta quadrigis
Nondum stelliferi mediam peruenit olympi
Ad metam, & tacito scintillant sidera motu:
Cùm syluæq;, vrbesq; silent: cùm fessa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora somnos:
Non fera, non volucris, non picto corpore serpens
Dat sonitum. iamq; in cineres consederat ignis
Ultimus: & sera perfusus membra quiete
Scruposo senior caput adclinauerat antro.
Ecce autem nitor ex alto nouus emicat, omnemq;
Exuperat veniens atræ caliginis vmbram:
Auditiq; choris superûm, & cœlestia curuas
Agmina pulsantum citharas, ac voce canentum:
Agnouit sonitum, partusq; instare propinquos
Haud dubiis Virgo sensit lætissima signis.
Protinus erigitur stratis, cœlóque nitenteis
Adtollit venerans oculos, ac talia fatur:

Omnipotens genitor, magno qui sidera nutu
Aëriósque regis tractus, terrásque, fretúmque,
Ecquid adest tempus, quo se sine labe serenam
Efferat in lucem soboles tua? quo mihi tellus
Rideat, & teneris depingat floribus arua?
En tibi maturos fructus, en reddimus ingens
Depositum: tu ne qua pio iactura pudori
Obrepat, summo defende, & consule cœlo.
Ergo ego te gremio reptantem, & nota petentem
Vbera chare puer, molli studiosa fouebo
Amplexu: tu blanda tuæ dabis oscula matri
Adridens: collóque manum & puerilia nectes
Brachia: & optatam capies per membra quietem.
Sic memorat, fruiturq́ Deo, comitumq́ micanti
Agmine, diuinísque animum concentibus explet.
Atque olli interea reuoluto sidere felix
Hora propinquabat. Quis me rapit? accipe vatem
Diua tuum, rege diua tuum, feror arduus altas
In nubeis: video totum descendere cælum
Spectandi excitum studio. Da pandere factum
Mirum, indictum, insuetum, ingens: absistite curæ
Degeneres, dum sacra cano. Iam læta laborum
Iam non tacta metu, secli regina futuri
Stabat adhuc, nihil ipsa suo cum corde caducum,
Nil mortale putans, illam natúsque, patérque,
Quíque prius, quàm Sol cælo, quàm Luna niteret,

Spi-

Spiritus obscuras ibat super igneus undas,
Stant circùm, & magnis permulcent pectora curis
Præterea redeunt animo quæcunque verendus
Dixerat interpres: acti sine pondere menses,
Seruatúsque pudor: clausa cum protinus aluo
(O noctem superis lætam, & mortalibus ægris)
Sicut erat foliis, stipuláq; innixa rigenti,
Diuinum spectante polo, spectantibus astris
Edit onus. Qualis rorem cum vere tepenti
Per tacitum matutinus desudat Eous:
Et passim teretes lucent per gramina guttæ:
Terra madet: madet aspersa sub veste viator
Horridus, & pluuiæ vim non sensisse cadentis
Admirans, gelidas vdo pede proterit herbas.
Mira fides. puer æthereas iam lucis in auras
Prodierat, fœnóque latus malè fultus agresti,
Impulerat primis resonum vagitibus antrum.
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incursanteis deuexi ponderis ictus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.
Haud aliter, quàm cùm purum specularia Solem
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omneis
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras:
Illa manet illæsa: haud vlli peruia vento,
Non hyemi, radiis sed tantum obnoxia Phœbi.
Tunc puerum tepido genitrix inuoluit amictu,

Exceptumq́ sinu blandéque ad pectora pressum
Detulit in præsepe. Hic illum mitia anhelo
Ore fouent iumenta. O rerum occulta potestas:
Protinus agnoscens Dominum prócumbit humi bos
Cernuus: & mora nulla, simul procumbit asellus
Submittens caput, & trepidanti poplite adorat.
Fortunati ambo: non vos aut fabula Creta
Polluet, antiqui ferens mendacia furti,
Sidoniam mare per medium vexisse puellam.
Aut sua dum madidus celebrat portenta Cythæron,
Infameis inter thyrsos, vinosáque sacra
Arguet obsequio senis insudâsse profani.
Solis quippe Deum vobis, & pignora cœli
Nosse datum, solis cunabula tanta tueri.
Ergo dum refluo stabit circundata fluctu
Terra parens, dum præcipiti vertigine cœlum
Voluetur, Romana pius dum templa Sacerdos
Ritè colet: vestri semper referentur honores,
Semper vestra fides nostris celebrabitur aris.
Quis tibi tũc animus, quæ sancto in corde voluptas,
O genitrix, cùm muta tuis famulantia cunis,
Ac circum de more sacros referentia ritus
Adspiceres dominos genua inclinare potenti,
Et sua commotum trahere ad spectacula cœlum?
Magne pater, quæ tanta rudeis prudentia sensus
Leniit? informi tantos quis pectore motus

Exci-

Excivit calor, & pecudum in præcordia venit?
Ut quem non reges, non accepêre tot urbes,
Non populi, quibus una aras, & sacra tueri
Cura fuit: iam bos torpens, iam segnis asellus
Autorem latè possessoremq́ue salutent?
Vocibus interea sensim puerilibus heros
Excitus, somnum expulerat, noctemq́ue fugârat
Ex oculis, iamq́ue infantem videt, & videt ipsam
Maiorem adspectu, maiori & lumine matrem
Fulgentem, nec quoquam oculos, aut ora mouentem,
Sublimemq́ue solo, superûm cingente caterua
Aligera. Qualis nostrum cum tendit in orbem,
Purpureis rutilat pennis nitidissima Phœnix:
Quam variè circùm volucres comitantur euntem.
Illa volans, Solem natiuo prouocat auro
Fulua caput, caudam & roseis interlita punctis
Cæruleam. stupet ipsa cohors: plausuq́ue sonoro
Per sudum strepit innumeris exercitus alis.
Miratur lucem insolitam: miratur ouanteis
Cœlicolûm cantus senior. tum victus, & amens,
Adtonitusq́ue animi, tantisq́ue ardoribus impar
Corruit, & geminas vultum demisit in ulnas:
Adfususq́ue diu telluri, immobilis hæsit.
Hic illum superi iuxta videre iacentem:
Vidit Dia parens, nec longum passa seniles
Obduci tenebris oculos dat surgere, & ægrum

Sustentare genu, tremulisq́ insistere plantis,
Diuinósque pati vultus, superíque nitorem
Ignis, & æthereas vibrantia lumina flammas.
Ille vbi paulatim vireis, animumq́ resumpsit,
Nodoso incumbens baculo, modulantia primum
Agmina, reginamq́ Deûm de morte salutat.
Mox ipsum adcedens præsepe, vluáq́ palustri
Impositum spectans Dominum terraq́, marisq́
(O timor, ô mentis pietas) puerilia membra
Non ausus tractare manu, cunctatur. ibi auram,
Insperatam auram diuino efflantis ab ore
Ore trahens, subito correptus numinis haustu,
Adflatusq́ Deo, sic tandem voce quieta
Incipit, & lachrymis oculos subfundit obortis:
Sancte puer, non te Phariis operosa columnis
Atria, non variata Phrygum velamina textu
Excepêre (iaces nullo spectabilis auro)
Angustum sed vix stabulum, male commoda sedes,
Et fragiles calami, lectaq́ paludibus herba
Fortuitum dant ecce torum. laqueata tyrannos
Tecta, & regifico capiant aulæa paratu.
Te pater æterno superûm ditauit honore
Illustrans: tibi siderei domus aurea cœli
Plaudit, inextinctosq́ parat natura triumphos.
Et tamen hanc sedem reges, hæc vndiq́ magni
Antra petent populi: longe quos cærula Calpe

Lit-

Littore ab occiduo, nigrisq́; impellet ab Indis
Sol oriens, quos & Boreas, & feruidus Auster
Diuerso inter se certantes cardine mittent.
Tu pastor, tu dispersas reuocare per agros
Missus oueis late, pectusq́; obferre periclis,
Prodigus ah nimium vitæ, per tela, per hosteis
Obscurum nomus irrumpens, rabida ora luporum
Compesces, saturumq́; gregem sub tecta reduces.
O mihi certa fides superûm, decus addite terris,
Nate Deo, Deus ipse æterno è lumine lumen:
Te te ego, te circum genitrix, lætiq́; ministri
Concinimus, primiq́; tuos celebramus honores,
Longaq́; perpetuis indicimus Orgia fastis.

LIBER TERTIVS.

A*Vratum interea culmen bipatentis olympi*
Conscendit genitor, rerum inuiolata potestas,
Læta fouens tacito sub pectore: mox iubet omneis
Ad sese acciri superos, quiq́; atria longè
Obseruant, quiq́; arcanis penetralibus adstant,
Præterea quos Eoos Aurora per ortus,
Et quos occiduæ propior videt Hesperus oræ.
Namq́; ferunt olim leges cum conderet æquas

Rex superûm, & valido mundum suspenderet axe
Diuersas statuisse domos, diuersaq; diuis
Hospitia, & dignos meritis tribuisse penateis
Ordine cuiq; suos. Illi data tecta frequentant:
Armaq́; & aratis adfigunt nomina valuis.
Haud mora fit: celerant iussi: volat æthere toto
Cælicolûm glomerata manus, pars igne corusco
Tota rubens, pars stelliferis innexa coronis.
Ipse sedens, humeris chlamydem fulgentibus aptat
Ingentem, & cælum pariter, terrasq́; tegentem.
Quam quõdam (vt perhibent) vigilans nocteisq́;, (diesq;
Ipsa suo neuit rerum natura Tonanti:
Adiecitq; sacra decus admirabile tela,
Per medium, perq; extremas subtegminis oras
Immortale aurum intexens, grandeisq; smaragdos.
Illic nam varia mundum distinxerat arte
Gnara operum mater, certisq; elementa figuris,
Et rerum species, animasq;, & quicquid ab alta
Fundit mente pater. Generis primordia nostri,
Cernere erat limum informem. iam præpete penna
Deferri volucreis liquidum per inane videres:
Iam syluis errare feras, pontumq; natari
Piscibus, & vero credas spumescere fluctu.
Hic postquam aligeros gemmata sedilia cœtus
Accepêre, pater solio sic infit ab alto:
Aetherei proceres (neq; enim ignoratis & ausus

Infan-

Infandos, durumq́; acies ſuper aſtra frementeis)
Si mecum iuuat antiquos ab origine motus
Inſpicere, & veterum pariter meminiſſe laborum:
Quandoquidem hæc vobis peperit victoria laudem:
Huc animos, huc pacatas aduertite menteis.
Vos, cum omne arderet cœlum ſeruilibus armis,
Arctoumq́; furor pertenderet impius axem
Scandere, & ingelidos regnum transferre Triones:
Fida manus mecum manſiſtis: & vltima tandem
Experti, cœlo victricia ſigna tuliſtis:
Aeternumq́; alta fixiſtis in arce trophæum.
Quos ego pro meritis inſigni munere palma
Donaui: regniq́; in partem, operumq́; recepi,
Præcipuosq́; habui, lectosq́; ad iuſſa miniſtros:
Vſq; adeo fixa antiqui ſtat gratia facti.
Nec minus & noſtras audiſtis ſæpe querelas,
Vidiſtisq́; graueis flammati pectoris æſtus,
Tunc cum prima nouas egit dementia genteis
Arboris auricomæ cœleſtia carpere poma:
Poma graui ſeros guſtu læſura nepotes.
Munere quin ſuperûm indignas ſpoliatis, & vmbra
Sacrorum latè nemorum: adſiduoq́; labore
Multâſtis miſeras, vita & breuioribus annis.
Quid repetam veteri ſumptas de crimine pœnas?
Exiliumq́; informe Erebi, tenebrasq́; repoſtas?
Quæ tacito mecum ſpectâſtis lumine: & iidem
Terrarum ſortem mœſti indoluiſtis acerbam.

Aut etiam vt nostri longo pòst tempore tandem
Pectoris indomitas clementia vicerit iras:
Visq́ arcana leueis sensim demissa per auras
Fœcundam intacta complêrit Virginis aluum?
An temerè hoc, nullaq́ actum ratione putatis?
Quippe ita mansuras decuit me ponere leges:
Quò terraq́, polusq́, homines, diuiq́ vicißim
Fœderibus starent certis, & pignore tanto
Seruarent memorem cognatæ stirpis amorem.
Quare agite, & iam nunc humana capeßite fata:
Ac primum duris parui sub cautibus antri
Gramineos lustrate toros: lustrate beatam
Pauperibus sedem calamis: cunctiq́ recenteis
Submißi cunas adcedite, dum pia mater
Complexu in molli natum fouet, vbera per nox
Indulgens teneris pueri rorantia labris.
Nec procul in stipula demisso pectore mutum
Procumbit pecus: & domini vestigia lambens
Peruigilat, longos fundit dum tibia cantus.
Hic faustos ortus pueri, noctémq́ verendam
Discursu per inane leui, paßimq́ canoris
Laudibus excipite, & plausu celebrate fauentes
Omnia felicem ventura in secula pacem,
Certatímq́ renascentis cunabula mundi,
Victum anguem, victúmq́ anguis furiale venenũ.
Sic placitum, sic auersos coniungere terris

Cœli-

Cœlicolas: sic ferre homines ad sidera certum est.
Hæc vbi dicta: nouum superis inspirat amorem,
Quo subitò veteres deponant pectoris iras,
Obliti scelerum: patrísque exempla secuti,
Terrarum flagrent studio, & mortalia curent.
Nec mora: Lætitiam choreis tum fortè vacantem
Aduocat (hæc magni motúsque animósque Tonantis
Temperat, & vultum discussa nube serenat)
Lætitiam, quæ cœlicolûm per limina semper
Discursat, raróque imas petit hospita terras:
Curarúmque expers, lacrymásque exosa virago,
Exultat, totóque abigit suspiria cœlo.
Vt stetit ante patrem, terrásque adcedere iussa est:
Mobilibus pictas humeris adcommodat alas,
Leniménque viæ comites vocat. Ilicet adsunt
Iucunda visu facies Cantúsque Chorique,
Gaudiáque, plausúsque, & honestis ignibus ardens
Rectus Amor: quem nuda Fides, Spésque inscia luctus
Vadentem, mira vnanimes pietate sorores
Obseruant. Sequitur mox inculpata Voluptas,
Gratiáque, & niueam suadens Concordia pacem.
Cumque propinquâsset portæ, quæ maxima cœlo
Dicitur, æternúmque micat radiata coruscis
Astrorum signis: quando mortalibus ægris
Dant nimbos aliæ, & damnant caligine terras:
Subcinctæ occurrunt Horæ properantibus alis:

Insomnes

Insomnes Horæ: namq; his fulgentia diuûm
Limina, & ingentis custodia credita cœli.
Protinus æratos impulso cardine posteis,
Cum sonitu, magnoq; polos quassante fragore
Præpandunt obnixæ humeris. Volat illa per auras
Obscura sub nocte nitens, gratantur eunti
Sidera. Iam festas meditatur Luna choreas:
Exultant Hyades: gaudet mutata Bootes
Plaustra auro, totosq; auro fulgere iuuencos,
Tunc primum visa est, miseri post fata parentis,
Risisse Erigone, & longum posuisse dolorem:
Armatoq; ensis subducitur Orioni.
Vt verò vmbrosis posuit vestigia syluis,
Culmina conscendit pastorum: atq; omnia latè
Perlustrans tacitis oculis loca, concutit alas
Adplaudens: pictosq; sinus sub nocte coruscans,
Subrisit lætùm, puraq; in luce refulsit.
Primi illam sensere canes: sensere iacentes
Hœdorum paßim per dura cubilia matres:
Balatuq; ouium valles sonuere propinquæ,
Saxaq;, & adtoniti caput erexere magistri.
Tunc ait: O parui vigiles gregis, ô bona pubes
Syluarum superis gratum genus, ite beati
Pastores, ite antra nouis intendite sertis:
Reginam ad cunas, positumq; in stramine regem
(Certa fides) alti iam iam moderator olympi

Cernere dat. properate: nouiq; tepentia lactis
Munera, cumq; suo date condita subere mella:
Insuetum & syluis stipula deducite carmen.
Nec plura effata, in nubeis taciturna recessit:
Et penitus nigra noctis se condidit vmbra.
Olli inter sese vario sermone volutant,
Quid superũ mandata velint, quas quarere cunas,
Quos iubeant reges, qua cingere frondibus antra.
Continuo variis innectunt tempora ramis:
Nectitur & lentiscus, opacaq; arbutus vmbra,
Rosq; maris, buxusq; & densa coma terebinthus:
Cunctaq; frondenti redimitur turba corona.
Mox syluam exquirunt omnem: saltusq; repostos
Flammiferis lustrant tedis. Ardere putares
Arua procul, totumq; incendi lumine montem.
Tandem inter dumos fessi, sub rupe cauata
Speluncam adspiciunt: vocemq; rudentis aselli
Auribus accepere. Vident ipsumq;, bouemq;,
Longaeuumq; senem, stantemq; ad lumina matrem
Insomnem, & pressis refouentem pignus in vlnis.
Ergo insperata gauisi munere sortis,
Ocyus ingentem procero stipite laurum,
Auulsamq; solo palmam ab radicibus imis
Adtollunt humeris: perq; interualla canentes
Cum plausu, choreisque, & multisono modulatu
Vestibuli ante aditum statuũt: omnemq; coronant

Fronde locum: grandeis oleas, cedrósque comanteis
Adfigunt: longisque aduelant limina sertis:
Et latè Idaliam spargunt cum baccare myrtum.
Quos bonus ex antro dictis adgressus amicis
Compellat senior: placidáque hac voce profatur:
Dicite pastores (neque enim sine numine, credo,
Tam certum tenuistis iter) cui tanta paratis
Munera? cui virideis ramis frondentibus vmbras
Texitis? ánne aliquis superûm patre missus ab alto
Has docuit sedeis, locáque hac adcedere iussit?
Sic memorans, sese latum venientibus obfert.
Illi autem: Noua per tenebras, noua lucis imago
O genitor, media visa est modò lumina sylua
Spargere, & in nostras diffundere gaudia menteis:
Siue Deus cœlo veniens, seu fortè Deorum
Nuntius, in dubio est: nos vultũ, habitúmque loquẽtis
Vidimus: & motas per noctem audiuimus alas.
Sic fati, iungunt dextras: mox ordine longo
Antrum introgreßi, calathis sylvestria plenis
Dona ferunt: matrem & lato simul ore salutant.
Tum puero adstantes Lycidas, & maximus Aegon,
Aegon, Getulis centum cui pascua campis,
Centeni per rura greges Maßyla vagantur:
Ipse caput latè, qua Bagrada, quà vagus errat
Triton, Cinyphia quà deuoluuntur arena,
Ingens agricolis, ingens pastoribus Aegon.

At Lycidas vix vrbe sua, vix colle propinquo
Cognitus, æquoreas carmen deflexit ad vndas:
Et tamen hi non voce pares, non viribus æquis,
Inter adorantum choreas, plaususq́ Deorum
Rustica septena modulantur carmina canna.
Hoc erat alme puer, patriis quòd noster in antris
Tityrus adtritæ spreuit rude carmen auenæ,
Et cecinit dignas Romano Consule syluas.
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas
Magna per exactos renouantur secula cursus.
Scilicet hæc virgo est, hæc sunt saturnia regna;
Hæc noua progenies cœlo descendit ab alto,
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget, & in mediis palmes florebit aristis.
Qua duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras:
Et vetitum magni pandetur limen olympi:
Occidet & serpens, miseros quæ prima parenteis
Elusit, portentificis imbuta venenis.
Túne Deûm vitam accipies? diuisq́ videbis
Permistos heroas, & ipse videberis illis?
Pacatumq́ reges patriis virtutibus orbem?
Adspice felici diffusum lumine cœlum,
Camposq́, fluuiosq́, ipsasq́ in montibus herbas.
Adspice venturo lætentur vt omnia seclo.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ

Vbera: nec magnos metuent armenta leones:
Agnáq; per gladios ibit secura nocenteis:
Bisq; superfusos seruabit tincta rubores.
Interea tibi parue puer munuscula prima
Contingent, ederæq;, intermistiq; corymbi.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores:
Et duræ quercus sudabunt roscida mella:
Mella dabunt quercus: omnis feret omnia tellus.
At postquam firmata virum te fecerit ætas
Et tua iam totum notescent facta per orbem:
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella:
Atq; ingens Stygias ibis prædator ad vndas.
Incipe parue puer risu cognoscere matrem
Chara Dei soboles, magnum cœli incrementum.
Talia dum referunt pastores: auia longe
Responsant nemora: & voces ad sidera iactant
Intonsi montes: ipsæ per confraga rupes,
Ipsa sonant arbusta: Deus Deus ille Menalca.
Hic subito magnum visi per inane volatus
Cœlestum, cursúsq; alacres, alacrésq; recursus:
Audítæq; procul voces, sonitúsq; rotarum
Scilicet innocuis per sudum exercitus armis
Ibat ouans, diuisæ acies, terna agmina ternis
Instructa ordinibus belli simulacra ciebant.
Ter clypeis iam credenteis inuadere nubeis

Ad-

Adspiceres: vacuas ter mittere tela per auras:
Ter clamare ducem: mox dißida cogere signa,
Atq; vnam lætæ faciem præferre phalangis:
Rursus & aërios percurrere milite campos:
Semotosq; alios constanti incedere passu
Nubila per, latasq; vias: & iungere nexu
Brachia, perpetuis quatientes motibus alas,
Gestantesq; manu nostræ argumenta salutis,
Spinasq;, clauosq;, horrenti & vimine fasceis,
Hæsuramq; hastam lateri, medicataq; felle
Pocula, sublimemq; crucem, immanemq; columnã.
Ibant, & dulci mulcebant æthera cantu.
Innumeras alij laudes, & magna parentis
Facta canunt: vt prima noui fundauerit orbis
Mœnia, telluremq; vagis discluserit vndis:
Vt paßim varios cœlo suspenderit igneis,
Lunamq;, stellasq;: vt magni lumina Solis,
Iam latè extremo tenebris Oriente fugatis,
Protulerit. Tu belligeras metuende cohorteis
Deiicis, exturbasq; polo: tu fulmine quassas
Cum duce signa suo, nigroq; inuoluis Auerno,
Cocytumq; iubes, tristeisq; habitare lacunas.
Te gemini cecinere axes, te maxima tellus
Victorem cecinit vastis cum fluctibus æquor.
Nec te hominum fraudes, non auertêre nefanda
Crimina: sed læto spectas mortalia vultu:

Dignataque tuo solaris numine terras.
Salue magne opifex cœli, rex maxime diuûm,
Terrarumque hominumque salus: quem sidera, quẽ sol,
Quẽ metuunt reges tenebrarum, & Tartarus ingẽs:
Cui latè humanum seruit genus: omnia solus
Qui regis: omnia amas pariter. tibi nomina mille,
Mille potestatum, regnorum insignia mille,
Salue autor: salue immensi dominator olympi:
Et nobis felix, terrisque labantibus adsis.
Ingeminant plausum nubes: lateque per auras
Discursat vox: & cœli conuexa resultant.
Herboso tum fortè toro, vndisonisque sub antris
Venturas tacito voluebat pectore sorteis
Cæruleus rex, humentum generator aquarum
Iordanes: quem iuxta hilari famulantia vultu
Agmina densentur nata pulcherrima Glauce,
Dotoque, Protoque, Galenaque, Lamprothoëque,
Nuda humero, nudis discincta veste papillis:
Callirhoë, Byroque, Pherusaque, Dinameneque,
Asphaltisque adsueta leueis fluitare per vndas:
Ipsaque odoratis perfusa liquoribus Anthis,
Anthis, qua non vlla nouos miscere colores
Doctior, aut pictis caput exornare coronis.
Mox Hyale, atque Thoë, & vultu nitidissima Crene
Congisteque Rhoëque, & candida Limnoria,
Et Dryope, & virideis Botane resoluta capillos:

Ore

Ore omnes formosæ, albis in vestibus omnes,
Omnes puniceis euincta crura cothurnis,
Ipse antro medius, pronaq; adclinis in vrna
Fundit aquas. nitet vrna nouis variata figuris
Crystallo ex alba, & puro perlucida vitro,
Egregium decus, & superûm mirabile donum.
Vmbrosis hic sylua comis, densisq; virebat
Arboribus. cerui passim, capreaq; fugaces
Aestiuum viridi captabant frigus in vmbra.
In medio, auratis effulgens fluctibus amnis
Errabat campo, & cursu læta arua secabat.
Hic iuuenis fuluis velatus corpora setis
Stans celso in scopulo, regem, dominumq; Deorum
Vorticibus rapidis, medioq; in fonte lauabat.
At viridi in ripa lecti de more ministri
Subcincti expectant: pronisq; in flumina palmis
Protendunt niueas cœlestia lintea vesteis.
Ipse pater cœlo latè manifesta sereno
Signa dabat, natoq; leuem per inane columbam
Insignem radiis mittebat, & igne corusco.
Adtonitæ circùm venerantur numina nymphæ:
Et fluuius refugas ad fontem conuocat vndas.
Talia cælata genitor dum spectat in vrna
Fatorum ignarus, oculosq; ad singula voluit
Admirans: videt insolitos erumpere fonteis,
Ingentemq; vndare domum cauaq; antra repleri

Fluctibus, atq; nouum latices sumpsisse saporem.
Dumq́; hæret, pauitatq́; simul, dum subleuat vndis
Muscosum caput, & taurino cornua vultu:
Adspicit insuetas latè florescere ripas,
Claraq; per densas discurrere lumina syluas
Pastorum ludo: & lætos ad sidera cantus,
Diuinasq; audit voces, & numina paßim
Aduenisse Deum testantia. Protinus ambas
Ad cœlum palmas hilaris cum voce tetendit:
O maris, ô terræ, diuûmq́; hominumq́; repertor,
Quis tua vel magno decreta incognita cœlo
Detulit huc audax, mediisq́; abscondit in vndis?
Ipse mihi hæc quondam (memini) dum talia mecũ
Sæpe agitat, repetitq; volens, narrare solebat
Cæruleus Proteus: mendax si cætera Proteus,
Non tamen hoc vanas effudit carmine voces.
Adueniat tibi Iordanes properantibus annis,
Adueniet, mihi crede, inquit: certißima cœlum
Signa dedit: nec me delusum oracula fallunt:
Qui te olim Nili supra septemplicis ortus,
Supra Indum, & Gangem, fontemq́; binominis Istri
Adtollet fama: qui te Tyberiq́, Padoq́;
Præferet, atq; tuos astris æquabit honores.
Cuius in aduentu tristes discedere morbi
Corporibus paßim incipient. iam victa repentè
Cessabit, turpeis squamas, maculasq; remittet

Dira lues: lacerosq́; elephas effusus in artus,
Vlcera sanguineo sistet manantia tabo.
Quin & letales (dictu mirabile) febres
Diffugient iussæ, possessaq́; membra relinquent:
Cedet & infestæ violentior ira Dianæ:
Ira nocens quæ fulminea velut icta ruina,
Corpora cum gemitu ad terram prosternit, & igni
Interdum, nunc perdere aqua (miserabile visu)
Festinat. Stygio nimirum armata veneno
Exuperat vis, & spumas agit ore tumenteis.
Nec iam vltra longo vireis minuente veterno,
Tabificus per operta impunè vagabitur hydrops
Exitio obrepens miserorum, atq; omnia latè
Viscera per varios perdet tumefacta dolores.
Non aliàs vincta tam crebra silentia linguæ
Abrumpent: noctem aut toties, tenebrasq́; priores
Excutient oculi, qui nunquam sidera, nunquam
Ardentem magni viderunt lampadas Solis.
Multa quidem maiora fide, sed vera, sed ipsos
Quæ teneant spectantum oculos, possum ore referre:
Sed propero: ventura tamen mirabitur ætas.
Cernere erit, claudos paßim genua ægra trahen-
Firmato subitos extendere poplite gressus. (teis
Tum neruis labefacta, diuq́; trementia membra
(Quis credat, nisi certa meus mihi cantet Apollo?)
Restringi, & validas cum robore sumere vireis:

Atq; alius rapto iussus consurgere lecto,
Haud mora, prosiliet: passuq; in templa citato
Contendens, onus ipse humeris portabit. Ibi ingens
Clamor, & innumera circum donaria voces
Spectantis populi, & rerum nouitate pauentis.
Parte alia extinctam penitus sensuq; carentem
Ad sua iam cernes reuocari munera dextram.
Nec minus & tacta compesci veste cruorem
Fœmineum: exangueisq; artus, pallentiaq; ora
Ilicet obstructis calefacta rubescere venis.
Ipsas quin etiam furias sub Tartara pelli,
Immaneis Erebi furias: tum fessa leuari
Pectora, vexatosq; malis cruciatibus artus:
Hinc vacuas late impleri stridoribus auras
Dirarum frustra clamantum, ac sæua trementum
Verbera, perq; cauas conantum euadere nubeis.
Iam deploratis vitam post funera reddi
Corporibus video iam mœstam incedere pompam,
Feralemq; anteire tubam: mox gaudia matrum
Insperata, patrumq; hilares verso ordine fletus,
Et circumfusam populos lætantibus vrbem.
Huic tu nutanteis quoties adsurgere monteis
Et (mirum) insuetas curuare cacumina syluas
Adspicies? Quoties humenti in gramine ripæ
Aut solantem æstus, aut leneis pectore somnos
Carpentem, tenui adsuesces mulcere susurro?

Macte tuis merito ripis, macte omnibus vndis.
Ad te deposito properabunt numina fastu:
Nudabuntq; sacros artus, & carmina dicent,
Ad numerum: cùm tu felix iam flumine sancto
Autorem rerum, diuûmq; hominumq; parentem
(Tantus honos, laus tanta tuo, Rex maxime, fonti)
Exutum veste accipies: atq; hospite tanto
Adtonitus trepidas hortabere voce Napæas:
Ite cita, date thura pias adolenda per aras
Cærulea comites, viridiq; sedilia musco
Instruite: & vitreis suspendite serta columnis:
Purpureas miscete rosas, miscete hyacinthos,
Liliaq;: & pulchros regem conspergite nimbo.
Tunc nomen latè clarum Iordanis ad auras
Adtollent montes: Iordanem maxima circum
Æquora, Iordanem syluæq;, amnesq; sonabunt.
Illa autem humanis quamuis latura ruinis
Auxilium, finemq; dies, gratissima quamuis
Vrbibus adueniat, totumq; optanda per orbem:
Fluminibus tamen, & nostris felicior vndis
(Si qua fides, si qua est veri prudentia Proteo)
Ostendet roseos stellis ridentibus ortus.
Quandoquidem non diuitias, non quæret honores
Ille patris decus, ac virtus, mortalia postquam
Membra sibi, & fragileis iam spōte induxerit artus:
Non sceptrum inuadet Cypri: non Caspia regna

Diripiet: non exuuiis Babylona superbam
Eruet: aut alto scandet Capitolia curru,
Militibus circum, & læto comitante senatu.
Sed maris vndisoni tractus: & littora longè
Curua secans, media socios sibi quæret in acta:
Dispersosq́ mari nautas, nudosq́ue colonos
Vndarum, sinuosa fretis iactare paranteis
Retia, vexatas aut iam reparare sagenas
Sollicitos, patris ad solium, ac sua tecta vocabit.
Atq; ollis ius omne, pòtestatemq́ue medendi
Adiiciet: pellent morbos, denteisq́ retundent
Vipereos, Orcique acies, ac monstra fugabunt.
Quin & custodes foribus radiantis olympi
Præficiet seruare aditus, & claustra iubebit
Aurea: queis non vlla queat vis sæua nocere
Eumenidum, durique vmbrarum obsistere postes.
Tum sedes passim emeritis duodena per astra
Instituet: distincta suos de more sequetur
Turba duces, illi leges, & sancta vocatis
Iura dabunt, plausu sociorum, atq; agmine læti.
Felices, qui iam cymba, remisq́ue relictis
Alta serenati conscendent culmina cœli.
Præterea (si certa fides, nec vana futuri
Gaudia) cognatas etiam spectabimus vndas
Lenæos verti in latices. Ea prima Deum Rex
Arcana, hos primos per signa ostendet honores

Acce-

Accepti latè imperij, mirabitur auctus
Lympha suos, iussa insuetùm spumare capaceis
Per pateras, largéque nouum diffundere nectar,
Et mensas hilarare, & feliceis hymenaeos.
Nec semel ille altum remis euectus in aequor
Cum iam frustrato socios rediisse labore
Accipiet, praeda ingenti ditabit, & vdos
Squamigerûm strata cumulos exponet in alga.
Iratos etiam fluctus, tumidasq; procellas:
Misc enteisq; imo turbatam gurgite arenam,
Iamque superiecto mensuras aequore puppim,
Imperio premet increpitans. cadet arduus vndae
Impetus: atq; audisse minantis iussa putares
Eurosq;, Zephyrosq;, & ouanteis turbine Coros.
Quid loquar, vt gemino numerosas pisce cateruas,
Munere & exiguo Cereris, miserabile vulgus,
Matres, atq; viros pariter per gramina pascet:
Vt iam bis senis redeant fragmenta canistris?
Aut intempesta gradiens vt nocte per altum
Libera substrato ponet vestigia ponto:
Vixq; vndas sicco tanget pede? scilicet olli
Adnabunt blandae Nereïdes. humida passim
Sternent se freta: tum fundo Neptunus ab imo
Excitus, agnoscet Dominum: positóque tridente
Cum Phorco, Glaucóque, & semifero comitatu
Prosiliet, trepidusq; sacris dabit oscula plantis.

Sed

Sed quid ego exili vectus super alta phaselo
Cuncta sequor memorans? non si Parnasia Musa
Antra mihi: sacrosq; aditus atq; aurea pandant
Limina, sufficiam. non si mihi ferrea centum
Ora sonent, centumq; aerato è gutture linguæ
Vocibus expument agitantem pectora Phœbum:
Laudatos valeam venturi principis actus
Enumerare, nouóque amplecti singula cantu.
Hæc senior quondam felici pectore Proteus
Vaticinans (vt fortè meo diuerterat antro)
Præmonuit: nunc euentus stat signa futuri
Expectare. Nitor roseo sed fulsit ab ortu
Clarior: & radiis dux prævia matutinis
Oceani procul extremo se littore tollit
Exoriens Aurora: sinusq; induta rubenteis,
Ante diem citat auricomos ad fræna iugaleis.
Et iam consuetis tempus me currere ripis
Vndantem, magnosq; lacus, & prata secantem
Vorticibus. Viden' vt nostros agit impetus amneis?
Iordanemq; vocat tumidarum murmur aquarum?
Sic fatus, confestim humeris circundat amictus
Insolitos: quos pulchra vdis neuere sub antris
Naïades, molli ducentes stamina musco,
Sidonióque rudeis saturantes murice telas,
Aurea conspersò variârunt sidera limbo:
Atq; ita se tandem currenti reddidit alueo

Spu-

Spumeus, & motas aspergine miscuit undas.
Hactenus ô superi partus tentâsse verendos
Sit satis. optatam poscit me dulcis ad umbram
Pausilypus: poscunt Neptunia littora, & udi
Tritones, Nereusq́; senex, Panopeq́;, Ephyreq́;,
Et Melite: quaq́; in primis mihi grata ministrat
Ocia, Musarumq́; cauas per saxa latebras,
Mergillina: nouos fundunt ubi citria flores,
Citria Medorum sacros referentia lucos:
Et mihi non solita nectit de fronde coronam.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII DE MORTE CHRISTI Domini ad mortales Lamentatio.

SI quando magnum mirati surgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cœlo:
Certatimq́; suo terras ambire meatu
Noctiuagam Phœbem præcinctam cornibus aureis:
Æternosq́; astrorum igneis, cœliq́; micanteis

Scin-

Scintillare oculos: aliquem dare iura putâstis,
Atq; polo regnare hominum, rerumq́; parentem,
Cui mare, cui tellus: cui pareat arduus æther,
Cuncta supercilio qui temperet: hunc simul ægri
Mortales (si vestra dolor præcordia tangit)
Adspicite immiti traiectum pectora ferro,
Pectora, fœdatasq́; manus, perfusáque tabo
Ora, cruentatumq́; caput, crineisq́; reuulsos,
Adspicite, & plenos lachrymarum fundite riuos.
Heu scelus, heu crudele nefas: iacet altus olympi
Rector: & amisso torpent elementa magistro.
Quin etiam vacuum adsueto sine pondere cœlum
Nutat, & ipsa suum quærunt solia aurea regem.
Quem diuersa procul sæuo cum crimine tellus
Ignotum populis caput, & miserabile corpus
Sustinet, exangueisq́; sinu complectitur artus,
Et tremefacta, graueis testatur murmure questus.
Testatur Sol ipse suum sub nube dolorem
Iam latitans, atraq́; notans ferrugine frontem.
Tu quoq; deformeisq́; genas, pallentiáque ora
Contegis, inferiasq́; tuo das Luna Tonanti,
Auratum flauo tondens de vertice crinem,
Et lachrymas vda fundens in nocte tepenteis.
Nec minus abruptis fama est exîsse sepulchris,
Perq; vias errâsse nouis simulachra figuris:
Excitasq́; umbras, medias vlulâsse per vrbeis

Sub

Sub noctem, & notos questu impleuisse penateis.
Quid? non & pelagi rabies adtollere fluctus
Immaneis visa est? monteisq; euoluere aquarum,
Deiectura vrbeis, terrasq; haustura profundo?
Cum simul & caput vndisonis emersus ab antris
Cæruleus Triton rauco super æquora cornu
Constreperet, nautasq; horrenda voce moneret
Naturæ cecidisse patrem, regemq;, Deumq;.
Hæne manus vasti iunxerunt fœdera mundi?
Harum opus est, quodcũq; iacet, quodcũq; mouetur?
Quicquid vbiq; parens rerum Natura gubernat,
Frugiferens tellus, fœtúmq; animantibus æquor,
Vitalísq; aër, atq; ignibus æthra coruscis?
Et nunc (proh facinus, quantum potuêre nocentum
Flagitia?) immensis dant peruia vulnera clauis,
Liuenteisq; atro fœdant squallore lacertos.
Heu caput indignum spinis, venerandáq; cœlo,
Et toties clara stellarum impexa corona
Cæsaries: heu pectus hians: conuulsáq; dira
Barba manu: tunsiq; artus: & frigida membra.
Vósne pedes cœlum premere, & vaga sidera sueti,
Fulgenteísq; domos superûm, sublimia tecta,
Tam sæua immaneis perpessi cuspidis ictus,
Et terram, & duras sparsistis sanguine cauteis?
Nec trepidat mens cæca hominum? Quæ tãta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis

Tar-

Tartara, tot claris hominum viduata trophæis,
Desertasq; in nocte domos, & tristia regna?
Feliceisq; animas lætum Pæana canenteis
Pone sequi regem, & cælo insedisse sereno?
Quid si non tantos subiisset sponte labores,
Humanamq; sua pensâsset morte salutem
Ille sator rerum, & summi mens certa parentis,
Qui nutu ingenteis mundi moderatur habenas?
Vt tandem intactos picea Phlegethontis ab vnda
Post obitum æterna donaret munere lucis,
In partemq; suorum operum, regniq; vocaret:
Tantus amor generis seruandi, & gloria nostri.
Quare agite, ex animis mortales pellite vestris,
Siquid adhuc manet antiqua de sorde relictum:
Mendaceisq; Deos, & detestanda priorum
Sacra profanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuso terram nec sanguine taurus:
Nec miser ille sua diuulsus ab vbere matris
Ignotos agnus balet super hostia cultros.
Viuat quis, viuat quicquid sub sole creatum est.
Mentem, animumq; Deo, nõ thura, aut exta parate.
Has illi pecudum fibras, hæc reddite dona.
Cernitis, vt pronum flectat caput? vt pia pandat
Brachia? & ingratas vocet ad sua vulnera genteis?
Oblitasq; viæ moneat meminisse relictæ,
Scilicet amplexus non reiecturus amicos?

At vos obtusas ignari auertitis aureis,
Infelix genus, & sæua ludibria mortis:
Nec, quanta à tergo iam instent tormenta, videtis.
Tempus erit, cùm vestra illum commissa notantem,
Multantemq; reos, altaq; in nube sedentem
Adspicietis: & horrenteis tremor opprimet artus.
Nec iam ferre oculos flammarum ardore coruscos,
Aut timidos acie vultus contendere contrà
Audebit quisquam sibi conscius. Ibit in igneis
Turba nocens: sonteisq; exoluet corpore pœnas:
Pallenteisq; æternùm amneis, vastásque lacúnas
Cocyti colet: & furias horrescet hianteis:
Atq; animum monitis non intendisse pigebit.
Tunc vos exactæ capient mala tædia vitæ
Experteis cœli, atq; auræ sub nocte profunda:
Inq; caput trifidos nequicquam optabitis igneis:
Et frustra erectas tolletis ad æthera palmas.
Quos superûm cœtus, & fortunata piorum
Agmina vix lachrymis poterunt spectare retentis,
Inuidiæ stimulis, dirisq; vltricibus actos.
Ergo vitaleis miseri dum carpitis auras,
Dum compos mens ipsa sui est, dum certa facultas,
Dum ratio, tempusq; sinunt: simul ite frequentes,
Ite pij, veniam factis exposcite vestris:
Ite, animos purgate, Orcique inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem conuertite cœlo.

Sic rex ille hominum vacui spoliator Auerni,
Oblitus scelerum, cognatæ stirpis amore,
Promissiq; memor, menteis intrabit amicas,
Vestráque posthabitis recolet præcordia templis,
Postq; tot exhaustos vitæq; obitusq; labores,
Illo quo pluuias, quo pellit nubila vultu,
Ablutos labe excipiet, lætusq; reponet
Sidereos inter proceres, sanctumq; senatum,
Sub pedibusq; dabit stellantia cernere claustra.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, VIRI PATRITII, ELEGIARVM

LIBER I.

AD IOANNEM PARDVM HISPANVM.

PArde decus patriæ, spes maxima Parde tuorum,
Atque idem Hispani gloria rara soli:

Quem

Quem iuuat immensi causas exquirere mundi,
Primáque constanti corpora iuncta fide:
An magnum æterno voluatur numine cœlum:
An propria hoc ingens mole laboret opus:
Cur salsi fluctus: cur ignibus æstuet Ætna:
Cur vomat epotas vasta Charybdis aquas:
Vnde nitor stellis: cur nox maiórue, minórue:
Cur non ipsa suo lumine Luna micet.
Felix, cœlesteis cui fas nunc scandere sedes:
In queis post obitum fata manere sinant.
At nos per siluas, & sordida rura capellas
Versamus, quando Phyllis amare iubet.
Et teneris nostros vlmis incidimus igneis,
Quos legat errantum cœtus Hamadryadum.
Et nunc capreolos, & nunc venamur onagros:
Interdum sæuas fallimus arte feras.
Sæpe iuuat pictas visco captare volucres:
Nec Satyris ipso cedimus aucupio.
Quòd mihi si liceat tenui reuocare cicuta
Trinacrij niueas Vpilionis oueis:
Rura colam semper: populi valeatis, & vrbes:
Rura dabunt oculis grata theatra meis.
Illic gramineas, pastorum bella, palæstras
Aspiciam, & celeri præmia parta pede.
Nec me pœniteat sudibus certare colurnis,
Aut amare cauis pectora corticibus.

Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci,
Victores molli cespite serta ferent.
Plenáque pellitus lustrabit ouilia pastor,
Ponet & agricolis rustica liba Deis.
Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
Stabit & indocta falce dolata Pales.
Quorum solenneis ictus cadet agnus ad aras:
Ictus ut innumeras expiet agnus oueis.
Tum milium, & niueo statuet fumantia lacte
Pocula, votiuus concipietq́ preces:
Et ter transiliet flammanteis potus aristas,
Ter quoq; non tardo rustica turba pede.
Dij facite, inter oueis, interq́ armenta canendo
Deficiam, & syluis me premat atra dies:
Ut me non docta deploret pastor auena:
Utq́ sub vmbrosa contumuler plantano.
Ossáque pascentes venerentur nostra capella:
Nec procul à tumulo candida balet ouis:
Exultent alij Panchæo munere manes,
Et quærant Pariis marmora cæsa iugis.
Mi sat erit, veteres recolat si Phyllis amores,
Conserat & vernas ante sepulchra rosas.

AD IVLIVM SENENSEM, EXVLEM.

CVm mihi languentes dolor oppugnaret ocellos,
Cogerer & tristi soluere verba sono:
Ingratos inter gemitus, mœstasque querelas
Allata est manibus littera missa tuis.
Inspexi, agnouique tuas, mea numina, Musas,
Pieriosque haustus, Castaliumque decus.
Poscis, vt iratum placent mea carmina Phœbum,
Et flectant duras ad tua vota Deas.
Non hoc ingenium, non hæc facundia nostra est:
I, precor, atque alio flumine pelle sitim.
Ille mihi facileis iampridem denegat aures,
Et vetat arguta tangere fila lyra.
Nec mihi iam solito latices de fonte ministrat,
Nec docet optatos Calliopea choros.
Quid petis extinctam dilapso à torre fauillam?
Quid miser à nostro vulnere quaeris opem?
Iam tibi felici decurrunt carmina vena,
Et rapit ad patrium te tua Musa decus.
Ipsa mihi visa est, te lamentante, Thalia
Ingemere, & tristi Delius ore queri:
Qualis Strymonias olim cùm fleret ad vndas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:

Qui cantu Ismarij gelidis in rupibus Æmi
Adtonuit quercus, adtonuitq́ feras:
Saxáque Bistoniis deduxit montibus, & te
Currentem astrictis Hebre repressit aquis.
Scilicet egregios semper Fortuna poëtas
Tanget, & ancipiti deprimet vsq rota?
Néue sit extremos tantum submotus ad axeis
Ille, Tomitana qui iacet exul humo:
Te quoq nunc rigidi premit inclementia fati,
Longius & patria cogit abesse domo.
Sed nisi per magnos quæratur fama labores,
Omnis in ardenteis & abitura rogos.
Sic pius Æneas, sic stirps Laërtis Vlysses
Maius post cineres emeruere decus.
Sic quoq sublatis Tirynthius vndiq monstris
Visit ab Oetæa regna paterna pyra.
Et te (crede mihi) tot sæua incommoda passum
Virtus sublimi ducet in astra via.

IN FVNERE SARRI BRANCATII LVCRETIA VXOR.

ERgo importunæ ruperunt stamina Parcæ,
Stamina lanifica tam bene ducta colo?
Ergo ego, quæ fueram tali modo nupta marito,
Frigida nunc tristis conqueror in thalamo?

Quiq; his dignus erat vitam exhalâsse labellis,
Occidit externus aduena littoribus?
Felices nimium, fortunataq; sorores,
Quæ datis æternis thura Sabæa focis.
O vtinã nũquam amplexus, nunquã oscula nossem:
Essem pars vestri nempe ego parua chori.
Chare vir, audaci nimium confise iuuenta,
Et nimium lachrymis vmbra gemenda meis:
Quis te tam densos immittere corpus in hostes
Iussit? an ad pugnam non satis vnus erat?
Me miseram, non vlla tua te cura puellæ,
Non subiit mœsta certa ruina domus.
Tu mihi per sanctos solitus iurare Hymenæos,
Per non lædendi fœdera coniugij,
Te non immemorem charæ fore coniugis vnquam,
Et si læthæus tingeret ora liquor.
Quin ipsa admonui, ne sic violentus in arma
Irrueres: eheu quò violente ruis?
Quò raperis? quò iam nostri tibi cura recessit?
An potes vxoris non meminisse tuæ?
Vix equidem credo, quamuis heu credere cogar,
Tam citò pectoribus me cecidisse tuis.
Sed cecidi, sic sors tulit impia, nulláque pro me
Vota salutareis demeruêre Deos.
Hectora sic coniux, sic coniux fleuit Achillem,
Sic misera extinctum Laodomia virum.

Nunc mea virginitas, quando inlibata remansit,
Seruetur cineri non violanda tuo.

AD DIVVM IACOBVM PICENVM.

SAncte senex, quem nec sceleris contagia nostri,
Nec pessum vitiis secla dedêre suis,
Æquâsti magnos qui paupertate triumphos,
Tantus amor niueæ simplicitatis erat.
Sylua tibi sedes, viridique è cespite lectus:
Explebant mensas amnis, & herba tuas.
Talis erat priscis victus mortalibus olim:
Sed priscis tantum viuere cura fuit.
At te diuersos naturæ expendere casus
Iuuit, & instanteis diuûm aperire metus:
Submotumq́; oculis animo percurrere cœlum:
Quasq́; tenes sedes, mente adiisse prius:
Noscere præterea cunctarum exordia rerum:
Quod vix humanæ conditionis erat.
Magnum opus, vt prima surgentis origine mundi,
Omnia sint senis edita luciferis:
Vtque pater sancta demum cessare quiete
Perfecto artifices iusserit orbe manus.
His addis cultusq́; pios, ritusque verendos,
Cunctaque legifero tradita sacra duci:

Quæq; suis casta seclis cecinêre Sibyllæ:
Quæq; sacer vatum spiritus ore refert:
Sidereos partus, demissaq; pignora cœlo,
Atq; inopes cunas stramineumq; torum:
Speratumq; diu terris, cœloque probatum
Verum hominem, verum mente, animoq; Deū.
Hinc & supplicium infandū, atq; obprobria mortis,
Claraq; de Stygia ducta trophæa domo.
Deniq; vt ad patrem populo spectante suorum
Cesserit, igniferis præsideatq; locis:
Quantaq; nos maneant promissa gaudia vitæ,
Quantaq; venturæ gloria lucis erit.
Miremur, tibi si placidi penetrale Tonantis,
Et patet immensi regia clara poli:
Cum tantū his superas meritis sit scandere in arces,
Quà plaga securum lactea monstrat iter.
Scilicet inde datur terras spectare iacenteis,
Et circumfusi brachia curua maris:
Solis & ardenteis radios, Lunæq; recursus:
Qualiter & pacta stent elementa fide:
Nec minus æternis niteant vt sidera flammis:
Et peragant varias noxq; diesq; vices.
Felix, qui nostras potuisti linquere curas,
Et procul humanas despicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem,
Quæq; tibi gratos præbuit herba toros:

Quæq; arbor, rupésue sacra te fouit in vmbra:
Et quæ nunc manes continet vrna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita sub antris,
Nunc pedibus data sunt astra terenda tuis.
Attamen ô dic sancte pater, dic addite cœlo
Gloria, dic patriæ fama, decusq; tua:
Ecquid te solitis mulcet sapientia chartis,
Mollis vbi Elysium concitat aura nemus?
An iuuat aurata meditantem carmina canna
Nectere purpurea tempora cana rosa?
An mage virgineis sedet inuigilare choreis:
Cùm deceat cœlo quicquid in orbe libet?
An potiùs toto superûm spectante senatu,
Diluis æthereo crimina nostra foro?
Deniq; quicquid agis nitidi nouus incola cœli,
Pectoribus nostris non leue numen eris.

AD PETRVM DE ROCHAFORTI MAXIMVM REGIS GALliarum Cancellarium.

QVòd pectus tibi forte, quòd ardua pectoris arx est,
Quòd forti dignũ pectore nomẽ habes:
Quòd leges sua iura tenent te vindice, quodq;
Omnia virtuti peruia facta tuæ:

Autumni sedem, chelasq; Astraea reliqui,
Aduenią; tuos noster alumne lares.
In cunis ego te, si nescis sedula foui.
Reptâsti gremio sarcina grata meo.
Ipsa tuos finxi mores, animumq; , manusq; :
Ingeniumq; sagax, iudiciumq; dedi.
Hic nostri cultusq; frequens, optandaq; rerum
Cognitio, hinc fidei nomina tanta tua.
Ad te igitur duplices subnixo poplite palmas
Insuetis tendo sollicitata malis:
Ne patiare meas Latio languescere vires.
Pendet ab auxilio spes mea tota tuo.
Deprimor audaceis inter derisa ministros:
Nec fas ingenuum tollere ad astra caput.
Quodq; diu partum est virtute, & fortibus armis
Imperium, fœdè seruit auaritiæ.
Nec mirum, vestro tantum cum distet ab orbe,
Terraq; censura sit procul illa tua.
Quis credat? tectis ciues pelluntur auitis,
Adrogat iniustas dum sibi fiscus opes,
Fiscus opes miserorum, hoc est, heu, parcere victis?
Hoc est Ausonio reddere iura solo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
Nobilitas, patriis expoliata bonis:
Culpaturq; fides, domino seruata priori,
Et maris, & terræ non labefacta minis.

Scili-

Scilicet eſt crimen duram contemnere mortem:
Scilicet eſt Reges crimen amare ſuos.
O bene fortunæ memores, quicunq; ſuperbas
Gentibus à victis abſtinuere manus.
Nam quamuis ſæuos illectet præda tyrannos:
Magnanimos Reges gloria ſola iuuat.
Dolentur nullos hominum benefacta per annos,
Quáq; licet faciunt nos ratione Deos.
At ſi quis ſeræ ſpernit præconia famæ,
Quercubus Alpinis adnumerare potes.
Ergo tu, Regem cui fas lenire potentem,
Da deſideriis vela ſecunda meis.
Effice, iuſtitiæ ſoliti reddantur honores:
Dignus te, altricem qui tueare tuam.
Sed ſoror vt noſtros æquet Clementia faſces:
Quæ ſine dura nimis, difficilíſq; vocer.
O decus, ô lapſi ſpes conſtantiſſima ſecli,
O vir fortuna fortior ipſe tua.
Sic tibi contingat Solyma de gente triumphum,
Captáq; per noſtros ſigna videre duces:
Sic Rhodanum Nilo ſpectes dare iura ſubacto:
Pérq; Araris ripas plurima laurus eat.
Hoc ego te, mecum hoc Phœbus, doctæq; Sorores,
Hoc pietas, hoc ius, nobilitáſq; rogant.

AD IOANNEM SANGRIVM PATRITIVM NEAPOLITANVM, de suo immaturo obitu.

SI me sanus Amor patriis pateretur in oris
Viuere, vel saltem matre vidente mori,
Vt quæ vix vno nunc sunt ingesta libello,
Essent illa suis continuata locis:
Forsitan immites potuissem temnere Parcas,
Ductaq; de pulla tristia pensa colo:
Nec me plebeio ferret Libitina sepulchro,
Aut raperet nomen nigra fauilla meum.
Nunc cogor dulcésq; lacus, & amœna vireta,
Pieridúmq; sacros destituisse choros:
Nec pote, quæ primis effudit Musa sub annis,
Emendaturo subdere iudicio.
Sic heu, sic teneræ sulcis resecantur aristæ:
Implumes nido sic rapiuntur aues.
Prò superi, tenues ibit Syncerus in auras?
Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu quandoquidem Nemesis iubet, optime Sangri,
Nec fas est homini vincere posse Deam:
Accipe concussæ tabulas, atq; arma carinæ,
Naufragiiq; mei collige relliquias:

Erran-

Errantesq́; cie quocunq; in littore manes,
Taliaq́; in tumulo carmina cade meo.
Actius hic iaceo: spes mecum extincta quiescit:
Solus de nostro funere restat Amor.

IN MALEDICOS DETRACTORES.

QVid ruis in sacros temeraria turba poëtas?
Seuaq́; mordaci pralia dente moues?
Desine sacrilega conuitia fundere lingua,
Desine, pro populo stat Deus ipse suo.
Quis nouus in furias armat dolor? ite profani,
Ite, nec immeritas conscelerate Deas.
An monet hac Stigiis immersus Scuccha lacunis,
Dum flens Eumenidum verbera torta timet?
Illum olim tincta iuuerunt felle sagitta:
Nunc miserum facti pœnitet usq; sui.
Parcite tam chari manes violare parentis:
Per stupra, & talos, per cyatosq́; rogo.
Ars sua quenq; iuuat: non vos Helicona subire,
Non fas virginei polluere amnis aquam.
Scilicet hanc sumpto Iouiani Musa cothurno
Hauriat, & magno digna Marone sonet.
Cui comes intacta lustrans sacraria sylua
Attilius, docto pectore carmen hiet.

Nec minus & Musa repetens monimenta iocosa
Compater, argutos ingerat ore sales.
Elysiusq́; hedera comptus florente capillos,
Rara, sed Aoniis concinat apta choris.
Extendatq́; armis titulos AQVIVIVVS *auitos,*
Et doceat nostras cernere castra Deas.
Ipse sua referat Cabanilius ardua Troiæ
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.
Quiq́; velut tenera surgit nouus arbore ramus
Coruinus, quauis aure probanda canat.
Et qui Pieriis resonat non vltimus antris
Albinus, referat Principis acta sui.
Tu quoq; quid cessas doctis deflere querelis
Excidium patriæ culte Marulle tuæ?
Quiq́; tot egregias animas, tot clara virorum
Ingenia enixu format, alitq́; suo.
Nectat honorata Maius sua dicta corona,
Tamq; pias ferulas, regia sceptra vocet.
Quin & ritè suos genio Chariteus honores
Præbeat, & festas concinat arte dapes.
Aelius at blandæ fretus dulcedine linguæ,
Facunda totos conterat arte dies.
Nec te iam pudeat venturo ostendere seclo
Eloquij vires scala diserte tui.
Certent Socraticis Zenonis scripta libellis,
Cuius apis neruos intulit ore fauos.

At tu Castaliis non inficiande choreis,
Castalidos Carbo nunc cane regna tua.
Te quoq;, quem gemina mulcet sapientia lingua,
Parde, iuuet studiis inuigilare tuis.
Atq; alij quorum doctas it fama per aures,
Extremo properant vincere fata die.
Nos quoq; si magnus non auersatur Apollo,
Cantemus Nymphas, capripedésq; Deos.
Nam bene Thespiacas, liuor licet audiat, vndas
Nouimus, & dextro pressimus antra pede.
At vos incautis sociis aconita parate,
Et furtis miseras extimulate domos:
Oedipodísq; modo, thalamos fœdate paternos,
Si modò dat certum vulgus habere patrem:
Nocturnisq́; dolis agitate, & cædibus vrbem,
Perq; fora infestam reddite, pérq; vias.
Hæc studia, has artes primis didicistis ab annis,
Non Aganipææ tangere fila lyræ.
Nam neq; Calliope vobis, nec dexter Apollo
Permessi sanctos exhibuere lacus:
Dira sed Alecto gemina comitata sorore
Pocula cœnosa de Phlegethonte tulit.
Nimirum hinc nigro mores, & carmina tabo
Pallent, & fœdo liuor in ore sedet.
Fallor, an hos nobis misit grauis Aetna Cyclopas:
Mitis & hanc sentis tu quoq; terra luem?

Heu

Heu mea Parthenope, quæ te contagia lædunt?
Talia tu nunquam gignere monstra soles.
Dij patrij, quorum monitis huc aduena classis
Appulit, Euboicas constituítq; domos:
Littoribus talem nostris auertite pestem,
Mœnia felici si posuistis aue.
Vósq; umbræ insontes, quas iam lethale venenum
Ante diem Stygias ire coëgit aquas:
Vltrices huc ferte faces, fumóq; sequaci
Autores vestræ sollicitate necis.
Et vos ô vatum certissima numina, Musæ,
Numina carminibus non violanda meis,
Parcite, si vestras nunc primùm læsimus aures:
Iusta lacessita sumpsimus arma manu.

ACTII SYNCERI SANNAZARII ELEGIARVM LIBER II.

AD ALPHONSVM FERDINANDI filium Aragonium Siciliæ Regem.

ALphonse, inuito laus accesura parenti,
Hesperios inter non leue nomen auos:

Quid me laudatos Parnaßi mittis ad amnes?
Obruitur largo flumine nostra sitis.
Gloria Vergilio est, currus, atq; arma referre:
Nasonis medio fata in amore mori.
Battiaden docti sectatur Musa Properti:
Flaccus Pindaricos diuidet aure modos.
Passeris exequias fracto canit ore Catullus.
Tu Nemesim laudes culte Tibulle tuam.
Omnia non vno desudant essoda campo:
Noster in exiguo tramite currit equus.
Si me Castalia docuisset Phœbus in vmbra,
Oraq́; Gorgonea nostra rigâsset aqua,
Meq; vel Aeschyteo donâsset Musa cothurno,
Et foret in nostro grandior ore sonus:
Non ego Phasiaca canerem certamina pubis,
Aequora non prima sollicitata rate:
Non coniuratos subuertere Pergama Reges,
Non Troia profugos post duo lustra Deos,
Thebanásue acies, fratrumq́; immitia bella,
Sæuaq́; discordi funera rapta pyra.
Teq́; tuosq́; meo celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato dulce grauaret onus.
Nam canerem victosq́; duces, Hispanaq́; regna,
Horridaq́; à proauis bella peracta tuis:
Demissumq́; genus antiqua ab origine Regum,

Quan-

Quantaq́ magnanimi gesta feruntur aui:
Dum Libyæ tractus, veteres Carthaginis arces,
Lotophagum dites & populatur agros:
Reginæ accitu mox Italia regna secutus,
Chalcidicasq́ arces, Parthenopenq́ subit.
Sed quoniam instabiles animos muliebria versant
Pectora, suspectos deserit ille lares.
Ac patriæ petit arua suæ, nec longa moratus
Vltores rursum ducit in arma Deos,
Obsessamq́; intrat nymphis comitantibus vrbem,
Quà per operta vagus labitur antra liquor:
Aurea quin illo dicunt sub rege fuisse
Secula: felices qui meruêre frui.
Quid patris inuictas acies, quid concita dicam
Classica per campos Daunia terra tuos:
Disiectosq́; duces, populataq́; castra, neq́ vllis
Clara magis Regum prælia temporibus?
O mihi supremos si Parca indulserit annos,
Quanta canam, quantus vox mea plausus erit?
Tunc ego Mæonios ausim perrumpere fonteis,
Sæuaq́ terribili bella tonare tuba.
Vtq́ alios sileam, tua fortia facta referrem,
Proueherentq́ animos tot monumenta meos:
Vt puer extremas regni percurreris oras,
Lustratis referens præmia littoribus:

Et malè pacatos sedaueris ante tumultus,
Quàm patriis hostes finibus expuleris.
Primus honos, forti defensos milite Locros
Seruâsse, & muros vrbs Melibœa tuos.
Necnon Marte pari summas Caulonis in arces
Venisse, inq; suo templa sacrata iugo,
Templa Deæ vastis latè quæ præsidet vndis,
Vna Iouis coniux fida sororq; Iouis.
Testis Chratis erit, testes Sybaritides vndæ,
Oraq;, quæ fluctus prospicit Ionios.
Adde quòd Hetruscos oppleuèris agmine campos,
Et tibi captiuis fluxerit Arnus aquis:
Totq; pharetratas, Turcarum corpora, turmas
Ausoniis dederis manibus inferias.
Gratia diis Italis, prærupta Ceraunia, & arces
Butroti nostras pertimuere minas:
Captiuumq; ducem, fractosq; aspeximus arcus,
Detulit hinc domita quos tua classis aqua.
Hinc Ligurum furias, compressaq; iurgia ferro,
Gallicaq; in partes oppida versa duas.
Ipse ego quæ vidi referam: scit Thuscula tellus,
Quæque cadit summo lympha Aniena iugo.
Nam duce te, Latios ferro dum subruis agros,
Tempora militiæ prima fuêre mea:
Bis Nomentanas, bis magni Tyburis arces
Vidimus ad nostros proiicere arma pedes:

Cùm iam sit media trepidatum penè Suburra,
Et Capitolino vota parata Ioui.
Nec semel (vt fatear) Collinæ ad limina portæ
Fregimus armatos reppulimusq; duces.
Parce tamen veneranda parens, si iusta secutus
Signa sub Alfonso: Rex erat ille meus.
Lanuuium infelix, fatis contraria nostris
Terra, potes certas tu variâsse vices.
Nam quòd ad hostileis flexit victoria partes,
Fortuna magis hoc, quàm fuit artis, opus.
Ille sed Eridani ripas non fractus in altas
Contendens, chara regna sororis adit:
Metatusq; locum castris, Insubria paßim
Fudit, & Euganeis agmina missa iugis.
Dicite iò populi, turmas spectâstis ouanteis,
Et per victrices fœdera iuncta manus.
Ipse quoq; haud sileat quos credere Farfarus hostes
Risit, & exutum vertere terga ducem.
Heus vbi nunc Roberte tuæ vocesq;, minæque,
Campani peteres cùm tibi iura soli?
Iam nostros Reges, iam sternere cuncta parabas:
Nunc fuga degeneres arguit ecce metus.
Hortarisque tuos dimittere signa maniplos,
Heu pudor, & longæ præmia militiæ.
Hos tamen ille pius, quamuis diuersa secutos,
Alfonsus mitis fouit, & auxit ope.

Macte animo custosq; hominum, macte optime Re-
Ausonitæ tu Sol, tu pater vnus ades. (gum
Quid memorem pacisq; artes, belliq; labores,
Perpetuumq; animi tempus in omne decus?
Sed me formosæ deterrent iussa puellæ,
Ne poßim tantis inuigilare choris.
Et vetat asper Amor dulces contemnere curas,
Cogit & inuiso subdere colla iugo.
Nec prosunt lachrymæ, nec verba precantia mortẽ:
Ille suas in me concutit vsq; faces.
Quare si nostri veniet tibi nuntia lethi
Fama, triumphales iam propè siste rotas:
Atq; hæc ad cineres mœrens effare sepultos:
Sæuitia dominæ rapte Poëta iaces.

IN FESTO DIE DIVI NAZARII Martyris, qui Poëtæ natalis est.

Ecce mihi totum lux expectata per annum
Iam redit, Aoniæ serta nouate Deæ.
Hæc me vitales genitum produxit in auras,
Iußit & erectum tollere ad astra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate Hyacinthis:
Cingite & intexa limina nostra rosa.
Sic etenim coluisse decet geniumq; laresq;
Ferte coronato thura, merumq; foco.

Tuq́ apio innexos dudum acceptura poëtas,
Splendida solenneis instrue mensa dapes.
Hic mihi Punico Pontani Musa choturno
Incipiet posito carmen hiare mero:
Naturaq́ vias, teneriq́ exordia mundi
Proferet, & certa cuncta obitura die.
Crassus at æterno frondis redimitus honore,
Soluat Pieriis ora rigata modis:
Et mihi Linternumq́ vetus, placidumq́ Perinum,
Ostendatq́ ataui regna opulenta mei:
Regna male ad seros, heu, peruentura nepotes,
Dum versat varias sors inimica vices.
Altiliusq́ nouos superis laturus honores,
Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sfortiadum mox dicat, Aragonicosq́; hymenæos:
Iure quibus cantus æquet Homere tuos.
Nec gemat exilium Spartani Musa Marulli,
Ventura ad nostras ingeniosa dapes:
Verba sed antiqua reddat, numerosq́; Lucreti:
Cum magnis diuos laudibus accumulat.
Adde tuos Puderice sales, adde inclyta patris
Eloquia, adde animo tot bona parta tuo.
Iamq́ Panhormita lusus, & scripta recense,
Et Iouinianea tempora amicitia.
Hos inter meritis rediens AQVIVIVVS ab armis,
Proda honorata præmia militia:

Atq; chori princeps docti argumenta Plutarchi,
Cumq́; suis referat dogmata principiis.
Ipse autem haud dubitet Cabanilius acta referre,
Vel sua, vel magno iuncta parentis auo.
Nec Phœbo minus ipse suo, quam Marte probatus.
Phocaico pexas tingat in amne comas.
Tu quoq;, quem iuuenē veneror, dulcißime Garbn
Incipe iam docta plectra mouere manu:
Allifasq́ue tuas concine, dum vaga Lunam
Sidera per tacitum nocte sequuntur iter.
Talibus auſpiciis geniales ducere cœnas,
Theſpiadúmq; modis concelebrare iuuat.

IN CALENDIS IANVA-RIIS, AD FVS-cum.

EXoritur lux alma, caput Sol detegit Aureum:
Qui toties nostros exhilarauit auos.
Exoritur: redit ecce anni melioris origo.
Quisquis ades, sancta concipe voce preces.
Cingantur de more sacris fastigia templis,
Quæ vaga Sebethi Nais ab amne legit.
Ipse sui Ianus præpandat limina templi:
Cui geminum liquido stillet odore caput.

Illius

Illius & castas sument pia thura per aras:
Atque focos supra stet, videatque suos:
Nuntiet & tibi Fusce nouos virtutis honores.
Iam reor hæc animum vota fouere tuum.
Nec magis optâris, quas Lydius amnis arenas,
Quas voluit flaui lympha superba Tagi.
Nec magis vberibus quicquid sibi colligit aruis
Medus, & assiduo Sole perustus Arabs.
Iusta precor: Latiis vtinam discedat ab oris
Hostis, & indecori victus oberret equo.
Victus Hydruntinas cogatur linquere terras,
Et plangat nostram sanguinolentus humum.
Hæc veniet lux Fusce tuis lætissima votis,
Cum pax optatas ducet in vrbe moras.

IN MORVM CANDIDAM.

NVnc erato virides capiti subnecte corymbos,
Profer & auratæ fila canora lyræ.
Arboris vmbriferæ casus referamus acerbos.
Non erat hæc nostro fabula nota solo:
Audiat, & molli cantantes protegat vmbra
Ipsa,
Olim Baianis fuerat pulcherrima syluis
Naias, errantes figere docta feras.

Quam liquidus clausis Lucrinus sæpe sub antris
Optauit lateri iungere posse suo.
Nec semel illius pharetram, laudauit & arcum
Pastorum incultis fistula carminibus.
Testes Cumaa, testes Linternides vndæ,
Sanctáque Gaurana numina Hamadryades,
Illam Syluanos, Panasq́; odisse bicornes,
Et quoscunq; colit sylua, nemusq́; Deos.
Sed quid fata parant? solitis Morinna redibat
Montibus: hoc illi nomen, & omen erat.
Cùm subita cœlum texit caligine nymbus,
Et multa canam grandine fecit humum.
Illa hyemem fugiens, diuersa per arua cucurrit,
Tecta caput sertis grandine tecta caput.
Vallis erat prope sulfureos malè peruia montes,
Candida quam Graio nomine signat humus.
Hanc super excisis pendebat cautibus antrum,
Agricolûm hirsutis nota domus gregibus.
Pugnantes huc forte coëgerat impiger hircos
Semidiusq́; caper, semicaperq́; Deus.
Quem procul vt vidit Nymphe, sic pectore toto
Insequitur, tales & iacit ore sonos:
Quò properas ah dura, measq́; ingrata querelas
Despicis? aspectus ne fuge Nympha meos.
Mecum capreolos, mecum venabere damas:
Parebit iussit hoc pecus omne tuis.

Nil est, quod fugias: mihi crede, recentia semper
Pocula de niueo fagina lacte madent.
Semper picta rosis, semper contexta ligustris
De nostro poteris munera ferre sinu.
Dixit. at illa volans celeres prauertitur auras,
Imbre nihil motos impediente gradus.
Iamq; patens tristesq; lacus, sterilemq; paludem,
Consitáque arbustis non minus arua nouis.
Adspicit exosi longè sub faucibus antri
Obscurum caco puluere noctis iter.
Huc, tanquā in latebras se coniicit. haud minus ille
Insequitur prada tractus amore sua.
Iamq; patens cœlum rursus, Solemq; videbat,
Liquerat & montem post sua terga cauum:
Dextra Pontus erat, praruptáq; saxa sinistra:
Et iam defessam, tamq; premebat amans.
Protinus exclamans: Fer opem mihi Delia, dixit:
Oráque supremo diriguere sono.
Attulit auxilium Nympha Dea, seq; vocanti
Prabuit: illa cadens sponte recumbit humi:
Fitq; arbor subitò: Morum dixêre priores,
Et de Morinna nil nisi nomen habet.
Per in radicem, in frondes iuere capilli,
Et qua nunc cortex, carula vestis erat.
Brachia sunt rami, sed qua nitidissima poma,
Quas malè virasti Nympha fuere niues.

Fleuit

Fleuit Misenus, mutatum fleuit Auernus,
Fontibus & calidis ingemuere Deæ.
Quinetiam fleuere suis Sebethides antris
Naiades, & passis Parthenopea comis.
Sed tamen ante alios lachrymas in stipite fudit
Faunus, & hæc tristes addit & inferias,
Inter syluicolas ô non ignota sorores,
Nunc Morus, duris candida corticibus,
Viue diu: & nostros semper tege fronde capillos,
Cedat vt ipsa tuis pinus acuta comis.
Tu nunquam misera maculabere sanguine Tybes,
Immemor heu fati ne videare tui.
Tu, nec fata negant, niueis vberrima pomis
His olim stabis frondea limitibus:
Et circum puerique canent, facilesque puellæ,
Ducentes festos ad tua sacra choros.
Hactenus insigni cecinit testudine Musa:
Aoniasque volans læta remisit aquas.

AD BACCHVM.

BAcche bimater ades: sic sint tibi nexa corymbis
Cornua, sic nitidis pendeat vua comis:
Seu te nunc Thebæ, seu te nunc Ismarus horrens,
Siue habet vmbrosis Naxos amica iugis.
Huc pater, huc propera frondenti candide thyrso,
Huc potius gressus dirige Bacche tuos.

Sed pallam iam pone grauem, pictosq́ cothurnos,
Et musto teneros tu quoq; tinge pedes.
Tecum etiam Dryadesq́; Deæ, Satyriq́; bicornes
Adsint, & calamos, concauáque æra sonent.
Raucáque subductis percurrant tympana palmis,
Bassaridum fulsis turba verenda comis.
Quas malè festinans Silenus pone sequatur,
Et procul vt maneant, subsideantq́; roget.
Tum secum auriti fatum deploret aselli,
Incedet ferula dum titubante senex.
At Deus hortorum, cui vertice fixa rubenti
Canna tremit, sæua falce repellet aues.
In medio crater cælato maximus auro,
Spumet inexhaustum, Lesbia dona, merum:
Et circùm de more tuas caua tibia laudes
Intonet, appositas concelebretq́; dapes.
Ipse ergo perq́; vias vrbis, perq́; omnia passim
Compita, perpetuò sacra colenda feram.
Ipse Giganteo referam memorata triumpho
Nomina, & ouanteis, Orgia læta, choros.
Nec sileam fuscas acies, Gangetica regna,
Gestáque adoratis prælia littoribus.
Mox thalamos Ariadna tuos, tædasq́; iugales,
Quæque nitet medio fixa corona polo:
Iamq́ue pios ritus, indictáque sacra frequentans,
Instituam virgas fronde virente tegi:

Incen-

Incendamq́; tuas vates tum magnus ab aras,
Quàm nec Vergilius, quàm vec Homerus erat.
Tu mihi sancte pater mordaces exime curas,
Nubiláque annoso pectora solue mero.
Tu mihi securos adige in præcordia somnos:
Afflatuq́; iuua lumina fessa tuo.
Scimus enim quantos ineunte ætate laboreis
Pertuleris, quantos fulminis igne metus.
Infelix Semele quid munera poscis amantem,
Quæ tibi, quæ nato sunt nocitura tuo?
Posce Iouem, quæ digna tuis sint præmia votis,
Posce: feres votis præmia digna tuis.
Non tibi syluicolum proles de plebe Deorum,
Sed cui sint Phœbus. Mercuriusq́; pares.
Sed quam Saturnus non dedignetur ab alto
Noscere, quàm læto Iuppiter ore probet.
Salue chara patres soboles, mitissime diuûm:
Salue hominum requies, lætitiaq́; parens:
Et faciles (si iusta peto) mihi prospice Musas:
Et me pacato numine dexter adi.

AD LVDOVICVM MONTALIVM SYRACVSANVM, CAROLI Cæsaris scrinij magistrum.

Mons

Mons altus nomen clarum tibi, siue niuosis
Nascenti dederit fertilis Ætna iugis,
Seu lustrata vagis Netrodis saxa Naphais,
Siue Dionæo numine clarus Eryx,
Seu quòd Olympiaco reptâris vertice, téq;
Pertulerit placido blanda Arethusa sinu
Nobile frondoso defluxit nomen Olympo,
Elai referens sacra vetusta Iouis.
Seu magne quod celsas puer exuperaueris Alpes,
Dum patet in laudes Belgica terra tuas:
Oceaniq́; petis non explorata Britanni
Murmura, nec cana Tethyos antra times:
Exhaustos praeferret vt illa ætate labores,
Aëria nomen venit ab Alpes tibi.
Quicquid id est, quicunq; huius tibi nominis autor
Mons, & inaccessi verticis asperitas:
Non mores, non facta, sed alta mentis acumen,
Vidit, & ingenij prauia signa tui.
Nam licet ipse animo nubes & sidera vincas,
Cunctáque sint sensu pene minora tuo:
Non te per duros aditus, rupeísue fragosas.
Sed per floriferum vallis adimus iter,
Vallis, perpetuo quam vestit gramine riuus,
Et quam vicini littoris aura fouet.
Hoc est, hoc (mihi crede) Deos æquare merendo:
Hoc est æterni sceptra tenere Iouis.

Cætera

Cætera mortaleis inter peritura labores
Desere, & hoc vnum vita sequatur opus.

IN DOMINÆ NATALEM AD IVNONEM.

IVnoni fer sacra, nouas lege Musa coronas:
Natalis dominæ iam mihi festus adest.
Ipsa sed in primis solennes indue cultus,
Et mihi purpurea tempora cinge rosa.
Vtq́ꝫ aliquid gratas diuæ meditemur ad aras,
Affer inaurata garrula plectra lyra.
Tu quoque, vitta tuos auro subnecte capillos:
Plurimáque in niueo pectore gemma micet.
Hæc mihi te, mea lux, seros promisit in annos,
Hæc mihi te certam iussit habere dies.
Quanta mihi hac primùm fulserunt gaudia luce?
Quantus in hoc vno tempore venit honos?
O mihi Erythræis meritò signanda lapillis:
O mihi delicias inter habenda meas.
Quisquis ades, bona verba, & lætos edite cantus,
Libáque de Siculo dulcia mella date.
Alba mihi vestis nullo violata veneno
Adsit, & in geminos defluat apta pedes.
Ante aram viridi texant vmbracula quercu
Formosis Dryades, rustica turba, comis.

Phœbus

Phœbus odorata circum tegat atria lauro:
Aut myrto duplices tu Cytheræa fores.
Ipsa Arabum merces Niseïa turba ministret:
Lenæusq́; ferat Naxia vina pater.
Omnia sint lætis operata ex ordine sacris:
Et cœlum niueis constrepat alitibus.
Magna parens Iuno, centum comitata ministris,
Huc ades, & votis annue diua meis.
Vos quoq; per vacuum quæ luditis aëra, Nymphæ,
Cingite felici nubila summa choro.
Scilicet euentus hæc sint bona signa futuri:
Huc eadem plenæ nuntia lætitiæ.
Ipse ego vestra sequar iucundo gaudia plausu:
Et peragam varios ore manuq́; modos:
Quin etiam sertis, & thure calentibus aris
Excipiam sancta numina vestra die.
At tu natalis, nullos non fauste per annos,
Semper honorata luce serenus eas.
Quodq́; opto, innumeras (si quid prece posse puta-
Cumææ vincas vatis olympiadas. (mur)

AD RVINAS CVMARVM VRBIS VETVSTISS.

HIc, vbi Cumææ surgebant inclyta famæ
Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris,

Longinquis quò sæpe hospes properabat ab oris,
Visurus tripodas Delie magne tuos.
Et vagus antiquos intrabat nauita portus,
Quærens Dædalia conscia signa fugæ:
(Credere quis quondã potuit, dum fata manebãt?)
Nunc sylua agrestes occulit alta feras.
Atq; vbi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
Nunc claudit saturas vespere pastor oues.
Quæq; prius sanctos cogebat Curia patres,
Serpentum facta est alituumq; domus.
Plenaq; tot passim generosis atria ceris,
Ipsa sua tandem subruta mole iacent.
Calcanturq; olim sacris onerata trophæis
Limina, distractos & tegit herba Deos.
Tot decora, artificumq; manus, tot nota sepulchra,
Totq; pios cineres vna ruina premit.
Et iam intra solasq; domos, disiectáque passim
Culmina setigeros aduena figit apros.
Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipse carinis:
Præuia nec lato missa columba mari.
Et querimur, citò si nostræ data tempora vitæ
Diffugiunt? vrbes mors violenta rapit.
Atq; vtinam mea me fallant oracula vatem:
Vanus & à longa posteritate ferar.
Nec tu semper eris, quæ septem amplecteris arces:
Nec tu, quæ mediis æmula surgis aquis.

Et te (quis putet hoc?) altrix mea durus arator
Vertet, & , vrbs, dicet, hæc quoq; clara fuit.
Fata trahunt homines fatis vrgentibus, vrbes,
Et quodcunq; vides auferet ipsa dies.

MALA PVNICA.

QVid miser externas perquiris nauita gentes?
Et tam longinquo gurgite quæris opes?
Nec te ventorumq; minas, pelagiq; procellas,
Nec piget ignota damna subire via.
Aspice, quàm tenui velemus cortice gemmas:
Iam tibi, quicquid habent littora rubra, damus:
Seu vis purpureos roseo fulgore Hyacinthos:
Infensam Baccho siue Amethyston amas:
Ardenteis seu quæ torres imitantur, & igneis:
Seu mage diluto lumine Chrysolithos.
Sed rude diuitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit, quantis sit caput inde malis.
Diuitiæ fera bella viris, lethumq; tulerunt.
Nam prius æterna pace vigebat humus.
Diuitiis natóque pater, natusq; parente
Cæditur, & charo fratre verenda soror.
Nec tantum sæua tractant aconita nouercæ:
Sed iugulat partus mater auara suos.
Adde quòd & gemmæ solo fulgore probantur,
Adscitusq; illis quæritur arte decor.

At nobis natura oculos tardare tuenteis,
Et dedit arenti pellere ab ore sitim.
Nec nostra populos armant in prælia gemmæ,
Nec suadent magnos clàm violare Deos:
Sed semper placidis visunt conuiuia mensis:
Stant vbi iucundo pocula plena mero.
Pacis opus sumus, & pacati munus amoris,
Quod capit à Satyro Nais amata suo.
Nunc temerè, infernis cùm nos libâsset in hortis,
Noluit ad matrem nata redire suam.
Nos quoq;, dum Libycos errat Pomona per agros,
Obstupuit pleno fracta rubere sinu:
Ac rarum mirata decus, mirata liquorem,
In sua de patrio transtulit arua solo.
Ergo Punicea laus hæc & gloria sylua,
Vincere gemmiferi lucida dona maris:
Pallentiq; graues depellere corpore morbos,
Ægraq; Pæoniis ora leuare modis.
Quod nec Erythræi præstabunt littora ponti,
Non opibus pollens Indica terra suis.
Tu verò, duplici fulgent cui tempora lauro
Militia, & sacri Dux AQVIVIVE *chori:*
Accipe nos, laudum contentus luce tuarum:
Muneráque inuisa dispice luxuria:
Et seu carminibus, seu delassaberis armis,
Diluat exundans hæc tibi gemma sitim.

ACTII SYNCERI SANNAZARII, ELEGIARVM LIBER III.

AD FRIDERICVM FERDINANDI FILIVM, ARAGONIVM Siciliæ Regem.

ERgo ego fallaci tantum seruire puellæ
Natus, & aduerso semper amore queri?
Nec me Pieria spectabit Phœbus in vmbra.
Inter certantes carmina ferre choros?
Quà densos Helicon saltus, collesq́ue virentes
Pandit, & Aonidum perluit antra liquor,
Dispositaq́ue iugis intexunt serta puellæ,
Pendentesq́ue sonant per caua saxa lyræ.
Iam libet intactis haurire è fontibus vndam,
Et lustrare sacrum, quà via nulla, nemus.
Ardua sunt tentanda: nouas en carmina vires
Sumite: per durum gloria anhelat iter.
Nunc opus est alia crinem compescere fronde:
Nil mihi cum sertis Bacche iocose tuis.

Ipse audax virides Parnassi in vertice lauros
Decerpam, aut syluis Pinde canore tuis,
Ipse lyram nullo percussam pollicis ictu
Suspendam ex humeris, præmia rara, meis.
Non ego nunc molles meditor lasciuus amores:
Nec iacio ad surdas carmina blanda fores.
Maior ad heroas me sublenat aura cothurnos:
Maior & in nostro personat ore Deus.
Lætus ades Friderice: tuas ex ordine laudes
Exequar: auspiciis fama petenda tuis.
Nam quanquã antiquis Regum bene fulta triũphis
Stat domus, & tantis se tibi iactat auis:
Maiorum tua non titulis innixa recumbit
Gloria, nec priscis gestit imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
Æternum & vera laude parare decus.
Nec tua facta olim titulo breue marmor habebit:
Immensum magni carminis illud opus.
Seu te quis teneris puerum miratus ab annis,
Ætatis referat tempora prima tuæ:
Seu casus rerum varios, durosq; labores,
Exhausta & sæuo prælia Marte canat.
Egressum vix dum cunis Æneïa nutrix
Sensit, & aduentu mota repentè tuo est:
Terq; Deos venerata, caput ter sustulit vrna,
Et tandem Phrygio lingua voluta sono est.

En iterum Sol magne, mea post diruta Troiæ
Pergama, post Latios spes mihi surgit auos.
Hac ætate vagi quondam per prata Scamandri,
Æneam vidi ludere sæpe meum.
Nec tu maior eras, cùm iam post fata Creusæ
Reptares gremio pulcher Iule meo,
Certaresq; iocis curas mihi demere aniles,
Deducens blandas nostra per ora manus.
His tamen auspiciis Albana ad sidera turres
Creuêre, & rerum maxima Roma caput.
Hinc Decios, Fabiosq; hinc pectora dura Catones
Vidimus, & fasces Brute seuere tuos.
Vidimus & ductos non vno ex hoste triumphos,
Auctaq; Iulais stemmata Cæsaribus.
Ingredere, ô, felixq; subi pede nostra secundo
Mœnia, propensos & venerare Deos.
Ingredere, Antiphata pollens tibi regia seruit,
Et Lestrygonio limina tuta metu.
Sit Ioue Creta potens, sint clari ab Apolline Delphi,
Laudet Amiclæos Tænaris ora duces:
Alcidem, Bacchumq; ferant ad sidera Thebæ:
Terra rudimentis nostra beata tuis.
Nam te, dum rapidos arcet de finibus hostes,
Ardua magnanimus misit in arma pater.

Auſpice te noſtra nullis incurſibus arces
Succumbent, nullis littora noſtra minis.
Sed bene habet, ceſſere metus, ceſſere pericla:
Barbarus hoſtiles ad ſua vertit equos.
Iam iuga, iam lati reſpirant vndiq; campi:
Nec tuba veliferas concitat vlla rates.
Tu tamen ad patrios reuocabere victor honores,
Maternosq; ſinus, Parthenopenq; petes.
Mox Salentinos ibis metator in agros,
Quà ſecat Oebalia culta Galeſus aqua.
Sed quò liuor edax non irruis? ecce repentè
Fata iubent longas te procul ire vias:
Romanumq; patrem, ſacrasq; inuiſere ſedes,
In primis magnos promeruiſſe Deos.
Tum pontes, arcusq; ducum, delubra, viasq;,
Cumq; ſuis cernes ſtructa theatra foris.
Interea Vaticanas numerare per ædes
Tot ſigna artificum, tot monumenta licet.
Mox Veios, veteresq; Vmbroſos, forteisq; Sabinos
Transgreſſo, Adriacum ſtat ſuperare latus,
Æmiliaq; domos, Apenninumq; niualem,
Et Phaëthontæo proxima regna Pado.
Quis ſumptus Leonora tuos, quis publica dicat
Munera, Ateſtinis edita principibus?
Iam veteres ſuperas diues Ferraria ludos,
Aurea dum celeri præmia ponis equo,

Effi-

Effigiesq́ deûm, ſpectandaq́ ſigna per oras
Extruis, & variis pegmata celſa locis.
Quis rurſum Venetæ miracula proferat vrbis?
Vna inſtar magni quæ ſimul orbis habet?
Vna Italûm Regina, altæ pulcherrima Romæ
Aemula, quæ terris, quæ dominaris aquis.
Tu tibi vel reges ciues facis ô decus, ô lux
Auſoniæ, per quam libera turba ſumus:
Per quam barbaries nobis non imperat, & Sol
Exoriens noſtro clarius orbe micat.
Proxima ſunt Gonſaga tuæ ſpectacula terræ,
Donaq́ per magnos antè parata duces:
Mantua queis, largoq́ exultat Mincius ore,
Auſus ſpumiferum tollere ad aſtra caput.
Mincius æterni ſacrum geniale Maronis,
Cui cedit flauo lucidus amne Meles.
Hinc populos Ticine tuos ſpectare licebit,
Dictaq́; lanigeræ mœnia pelle ſuis,
Taurinosq́, altasq́; Alpes, Pœninaq́ caſtra,
Et Rhodanum, & ripas magne Lemanne tuas.
Inde per immenſum lati ſpatiabere campi,
Oſtendit ſacrum mons vbi Iura nemus:
Et veteres felix cuſtodit Claudius arces,
Claudius æternæ conciliator opis.
Hic formidatas acies, ipſumq́; videbis
Elatum longa proſperitate ducem:

Finitimis dum bella parat, tibique arma, virosque
Commendans, magni ius dabit imperij:
Nimirum ingeniumque sagax miratus, & artes.
Quaeque dabis mentis plurima signa tuae.
Quapropter mediis generum te diligit armis,
Pollicitus natae spemque, torumque suae.
Ac velut Oenomai currus, astumque secutus,
Eludet pacti foedera coniugij.
Sed male vt Oenomao currus cessere, dolique,
Perfidiae poenas se ferus iste luet.
Ter victus, ter iam castris exutus ab hoste,
Postremò miseram corruet ante diem.
Nam deiectus equo, fossaque inuentus in alta,
Obscoenam turpi sanguine tinget humum.
Nec iam erit, extremos funus qui curet ad ignes.
Non lapis, incisis qui tegat ossa notis.
Tu celsus, tu sublimis, tu victor honorem
Accipies, tibi quem Gallia tota dabit:
Bisque tuis referet superatos Lingonas armis,
Ductaque bis pulsos signa per Eluetios:
Praeterea quantum populorum Mosa coërcet,
Quantum caerulea Rhenus inundat aqua.
Atque erit is nostrae gentis vigor, omnia credi
Vt possim iusto succubuisse metu.
Hîc ego te, laudesque tuas fortissime Iuli
Non sileam, & valida praelia gesta manu.

Quem

Quę titulis AQVIVIVA *domus pręlustribus ornat,*
Mortalesq́ inter, semideosq́ locat.
Et iam militię moles tibi creditur omnis,
Omnia sub leges allicis ipse tuas.
Ad te patrato iuuenum pulcherrime bello
Tempus erat patriis dona tulisse Deis,
Mendacisq́ simul fastus, odiumq́ tyranni
Cum propè defenso deseruisse solo.
Eia agè rumpe moras inuisaq́ castra relinque,
Fidaq́ magnanimi limina regis adi.
Cui vel ad Oceani fines tot littora parent,
Iuraq́ dant sceptri Celtica regna sui.
Hîc tibi felices tedas, certosq́ hymenaeos
Expediet, tutas & simul addet opes.
Testis erit Liger, Aruernis qui fusus ab antris
Libera deuexum per loca findit iter.
Interea patrem, Campanaq́ tecta reuise,
Debitaq́ auspiciis hei mihi regna tuis,
Debita, sed fatis citò iam cessura malignis,
Euertet tantas cùm ferus hostis opes.
Dij maris Hętrusci, per quos Tyberinus, & Arnus,
Macraq́ cęruleis iungitur altus aquis,
Dum redit in patriam iuuenis, tot honoribus auctus,
Candida felici soluite vela noto.
Vosq́ cita puppes iussum properate per ęquor:
Fata dabunt istas sępe iterare vias.

Nec semel hos tractus, Ligurúmq; videbitis oras,
Aut Vari infaustum fluminis hospitium,
Vallatósq; sinus scopulis Toroëntia claustra,
Et sparsas mediis Stechadas aequoribus.
Deniq; Phocacicósq; sinus, Matióq; refossum
Littus, & antiqua moenia Maßiliae.
Donec fatales Turonum accedere muros
Permittant vestro fata sinistra duci.
Ah Liger ah nimium lachrymis vrgende meorum,
Qualia spectabis flumine busta tuo:
Busta, quibus magni ponant diademata reges,
Grataq; solenni flore parentet humus.
Atq; aliquis Latio veniens nouus hospes ab orbe,
Portet honoratas munus ad inferias:
Et dicat, Federice tuorum hîc meta laborum
Haesit: habet nostros hac breuis vrna Deos.

QVOD PVERITIAM EGERIT IN PICENTINIS, AD CASSANdram Marchesiam.

EST Picentinos inter pulcherrima montes
Vallis: habet patrios hic pia turba Deos:
Quam super hinc caelo surgens Cerretia rupes
Pendet: at huic nomen Cerrea sylua dedit.

Parte alia sacræ respondent saxa Thebennæ,
Quiq; rigens Merulæ nomine gaudet apex.
Et circum nigra latè nemus accubat vmbra,
Plurima quà riguis effluit vnda iugis,
Semiferi, si vera canunt, domus horrida Fauni,
Conuectant auidæ quò sua lustra feræ.
Accipit hîc tergo formosum bucula taurum:
Accipit immundum sima capella marem.
Mille tori Dryadum, Satyrorum mille recessus,
Antraq; syluicolæ grata latebra Deæ.
Viuula nomen aquæ, tenuiq; subucula riuo,
Et quæ de gelida grandine dicta sonat.
Huc mea me primis genitrix dum gestat ab annis,
Deducens charo nupta nouella patri,
Adtulit indigenis secum sua munera diuis,
In primis docto florea serta gregi.
Grex erat Aonidum cœtu comitata sororum
Ipsa sui princeps Calliopea chori.
Delius argutis carmen partitus alumnis,
Flectebat faciles ad sua plectra manus.
Atq; hic me sacro perlustrauêre liquore,
Cura quibus nostra prima salutis erat.
Tum lotum media puerum statuere chorea,
Et circumfusis obstrepuere sonis.
Deniq; præcinctumq; hederis, & virgine lauru,
Ad citharam dulces edocuêre modos.

Tantus

Tantus erat latis auium concentus in agris,
Vt posses ipsos dicere adesse Deos.
Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarũ,
Atq; illa festum luce habuere diem.
Tunc ego pastorum numero syluestria primùm
Tentaui calamis sibila disparibus:
Deductumq́; leui carmen modulatus in vmbra,
Innumeros paui lata per arua greges.
Androgeumq́;, Opicumq́; & rustica sacra secutus,
Commoui lachrymis mox pia saxa meis,
Dum tumulum chara dum festinata parentis
Fata cano, gemitus dum Melisea tuos.
Ac tacitas per operta vias rimatus, & antra
Inspecto, & variis flumina nata locis.
Mox maiora vocant me numina: scilicet alti
Incessere animum sacra verenda Dei,
Sacra Dei Regisq́; hominum, dominiq́; Deorum,
Primauum sanctæ relligionis opus,
Nuntius æthereis vt venerit aliger astris,
Dona ferens casta virginis in gremium.
Quid referam caulasq́; ouium lususq́; canentum
Pastorum, & Reges Arsacis ora tuos?
Nec minus hæc inter piscandi concitus egit
Ardor in æquoreos mittere lina sinus,
Fallacesq́; cibos vacuis includere naßis,
Atq; hamo vndiuagos sollicitare greges.

Quan-

Quandoquidem salsas descendi ego primus ad vndas,
Ausus inexpertis reddere verba sonis.
Quid referam mollesq́; Elegos, miserabile carmen,
Et superis laudes non sine thure datas?
Quaq́; aliis lusi numeris, dum seria tracto,
Dum spargo varios per mea dicta sales.
Multaq́; praeterea dilectae grata puellae,
Adscisco antiquis rursus Hetrusca modis.
Vt sileam nunc impensos tot regibus annos,
Tot data belligerae tempora militiae:
Et sileam vexata malis mea corpora morbis,
Vixq́; Machaonia restituenda manu.
Adde graues populiq́; fugas, procerumq́; ruinas,
Inflicta & miseris vrbibus exilia.
Ipse per infestos tecum Friderice labores
Multa adij terra, multa pericla mari.
Tuscorumq́; vadis, Ligurumq́; exercitus vndis,
Postremò littus Maßidiense subi.
Iam Rhodanum, Volcasq́; feros, Vocontiaq́; arua
Legimus, & fines Belgica terra tuos.
Bisq́; pruinosas cursu superauimus Alpes:
Bis metas magni vidimus Oceani.
Atq́; hic te tandem defleuimus optime Regum,
Quantum Hecube natos fleuerat ipsa suos:
Quantum discißis fratres Cassandra capillis,
Andromacheq́; sui dum legit ossa viri.

O sa-

O fatum infelix, ô sors malè fida quid illic
Egimus? ô tristi mersa carina loco.
Cùm nullum interea frugis genus imbre, vel æstu
Redderet ingenio Musa vocata meo.
Et iam miramur, longo si pressa labore
Amisit vires paruula vena suas.
Ipse deûm simul, atq; hominũ celebrator Homerus
Deficeret, nedum segnis, inersq; lyra.
Deficeret pater ipse, & carminis autor Apollo,
Pegasidum sacras qui tenet vnus aquas.
Ergo tanta meæ cùm sint dispendia vitæ
Facta, potes nostram quisq; dolere vicem,
Quòd non ingenio, quòd non profecimus arte,
Quòd mea sit longo mens propè victa situ:
Quòd mala subrepens imos, ceu pestis, in artus,
Irruerit, fracto corpore, segnities:
Nec pote iam lapsæ studium reuocare iuuentæ,
Ingenij cùm sit tacta ruina mei.
Tu saltem bona posteritas ignosce dolori,
Qui facit, vt spreto sit mea fama loco:
Musarum spolierq; bonis, & nomine claro
Vatis, & hac vltrò credar habere mala.
Prosit, amicitiæ sanctum per secula nomen
Seruâsse, & firmam regibus vsq; fidem.
Vósq; vel ignauo, vel tardo, parcite amici,
Cui natura suas dura negârit opes:

Dum

Dum tamen ambitione mala, atq; libidine turpi,
Et caream inuisa crimine auaritia.
Tu quoq; vel fessa testis Cassandra senecta,
Quam manet arbitrium funeris omne mei,
Compositos tumulo cineres, atq; ossa piato:
Neu pigeat vati soluere iusta tuo.
Parce tamen scisso, seu me mea vita, capillo,
Siue, sed heu prohibet dicere plura dolor.

DEOS NEMORVM INVOCAT IN EXTRVENDA DOMO.

DIj nemorum saluete: ego vos de rupe propinqua,
De summis patriæ mœnibus aspicio:
Aspicio, veneror'q;: caua mihi plaudite valles,
Garrula vicinis perstrepat aura iugis.
Vos quoq; per'q; focos felicia dicite ciues
Verba, per intectas flore decente vias.
Victima solennes eat inspectanda per aras:
Turba'q; Palladia fronde reuincta comas.
Mos'q; vt ab antiqua repetatur origine Roma,
Exterior forda cum boue taurus aret.
Ac prius infosso tectum quàm cingere sulco
Incipimus, iustos thure piate Deos.
Nulla per obductum decurrant nubila cœlum:
Candida'q; augustum concinat omen auis.

Exurgat pariet, ventos qui pellat, & imbres,
Qui multa circum luce serenus eat.
Adsit dispositis series concinna columnis,
Quaeque ornet medias crebra fenestra fores.
Ipse biceps primo custos in limine Ianus
Occurrat laetis obuius hospitibus.
Protinus à dextra sacra, mea turba, sorores
Cingant virgineis atria primo choris.
A laeua nitidis stratum Pythona sagittis,
Miretur posita Cynthius ipse lyra.
Aedibus in mediis parui sinus amphitheatri,
Visendas Regum praebeat historias.
Ac primùm triplici sese defendat ab hoste
Fernandus, rapido iam metuendus equo.
Alphonsusque pharetratas, dira agmina gentes,
Cogat Hydruntinis cedere littoribus.
Tum iuuenis Rex ipse, & Regum insignibus auctus
Alpinos adigat linquere castra duces.
Postremò Fridericus, auito laetus honore,
Dalmaticas grandi classe refringat opes.
Infestosque Deos, metuendaque iura minatus,
Indicat nato bella gerenda suo.
Hìc bene conueniens membris variantibus ordo
Adspiciat celebreis è regione situs.
Exhedrae, Xistique, Tablinum, Hypocausta, Dietae,
Et quae priuatis vsibus apta velim.

Atq; aliæ occasus, aliæ vertantur in ortus,
Quæq; habeant Boream, quæq; inhibere Notum.
Iungantur longis quadrata, obliqua rotundis:
Et capiat structos plurima cella toros.
O studiis placitura meis, ô mille per artes
Ocia Pieriis nostra iuuanda modis.
Hîc ego tranquillo transmittam tempora cursu,
Dum veniat fatis mitior hora meis.
Viximus ærumnas inter, lachrymosaq; Regum
Funera, nunc patria iam licet vrbe frui:
Vt quod tot curæ, tot detraxêre labores,
Restituat vati Parthenopeo suo.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, VIRI Patritij, Epigrammaton Liber I.

AD FRIDERICVM REGEM.

SCribendi studium mihi tu Friderice dedisti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.

Ecce suburbanum rus, & noua prædia donas:
Fecisti vatem, nunc facis agricolam.

Ad villam Mergillinam.

Rupis ô sacra, pelagique custos,
Villa Nympharum domus, & propinqua
Doridos, Regum decus vna quondam,
Deliciæque:
Nunc mea tantùm requies camœnis,
Vrbis inuisas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
Linquimus æstus.
Tu mihi solos nemorum recessus
Das, & hærenteis per opaca laurus
Saxa: tu fonteis, Aganippidumque
Antra recludis.
Nam simul tete repeto, tuasque
Sedulus mecum veneror Napæas:
Colle Mergillina tuo repentè
Pegasis vnda
Effluit, de qua chorus ipse Phœbi,
Et chori Phœbus pater, atque princeps,
Nititur plures mihi iam canenti
Ducere riuos.
Ergo tu nobis Helicon & vdæ
Phocidos saltus, hederisque opacum
Thespiæ rupis nemus, & canoro

Vertice

Vertice Pindus.

I puer, blandi comitem laboris
Affer è prima citharam columna,
Affer & flores, procul omnis à me
Cura recedat.

Principis nostri decus, atq; laudes
Fama per latas spatiata terras,
Euehat, qua Sol oriens, cadensq;
Fræna retorquet:

Quaq; non notos populos, & vrbeis
Damnat æternis Helice pruinis,
Quaq; feruenteis cumulos arenæ
Dißipat Auster.

Ille crescenteis veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum
Stirpis, & clarum genus, & potentum
Nomen auorum.

Contulit larga numerosa dextra
Dona, & ignauæ stimulos iuuentæ
Addidit, syluas & amica Musis
Otia præbens.

Calendæ Maij.

Maius adest, da serta puer: sic sancta vetustas
Instituit, prisci sic docuêre patres.
Iunge hederam violis, myrtum subtexe ligustris,
Alba verecundis lilia pinge rosis.

Fundat inexhaustos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Aßyrio sparsa liquore coma.
Grandia fumoso spument crystalla Lyæo:
Et bibat in calices lapsa corona meos.
Post obitum non ulla mihi carchesia ponet
Aeacus, infernis non viret vua iugis.

In tumulum Ladislai Regis.

Miraris niueis pendentia saxa columnis
Hospes, & hunc, acri qui sedet altus equo.
Quid si animos, roburq́ ducis, præclaraq́ nosses
Pectora, & inuictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis deiecit sedibus hostem:
Bisq́; triumphata victor ab urbe redit:
Italiamq́; omnem bello concußit, & armis:
Intulit Hetrusco signa tremenda mari.
Neue foret Latio tantum diademate felix,
Ante suos vidit Gallica sceptra pedes:
Cumq́ rebellantem preßisset pontibus Arnum,
Mors vetuit sextam claudere Olympiadem.
I nunc, regna para, fastusq́ attolle superbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

Ad Fridericum Regem.

Clausa quòd effoßis erumpunt ossa sepulchris,
Et reserant veteres putria saxa rogos:
Nimirum tanto cupiant sub principe manes
Viuere, & ad nutus umbra vocata venit.

Vtq́

Vtq; decet, longo mansuras tempore sedes
Spondent, & regnis otia læta tuis.
Quæq; diu ambiguis tecum fortuna vagata est
Paßibus, hîc certa stat bene nixa rota.
Sume animos Friderice: tuis hîc meta periclis
Hæret: habent manes, & pia busta fidem.

De natali Altilij vatis.

Musarum lux alma, meus cui thura quotannis,
Cui rite Altilius fundit in igne merum:
Accipe seruatos hyberno frigore flores,
Quæq; madent Siculis annua liba fauis.
Quandoquidem magnum Latio, rarumq; dedisti
Pignus, & Aoniis non leue nomen aquis.
At tu, sic tristeis nunquam experiare tenebras,
Sic Phœbi nitido semper honore mices:
Fausta precor, longos tamen expectata per annos,
Altiliaq; tuo concolor vsq; redi.

Ad Fridericum Regem.

Hybernas tibi Pampineis cum vitibus vuas
Mittimus, ô regni gloria, honosq; tui.
Prœla vacant, riget omnis ager, spumantia tandem
Musta silent: mensis est tamen vua tuis.
Iam pater Autumnus vernantia lilia mittet,
Talia si medio frigore bruma dedit.

De expeditione Alphonsi Regis.

Venturos olim Romana ad mœnia Turcas,
Dixerunt vates: credite, vera canunt.
Scilicet Alphonsum Turcas in bella trahentem
Expectas fatis anxia Roma tuis.
Pone metum, vincet: sed te meliora manebunt
Imperia: Alphonso principe maior eris.

In tumulum Lauræ puellæ.

Et lachrymas etiam superi tibi Laura dedissent:
Fas etiam superos si lachrymare foret.
Quod potuit tamen, auratas puer ille sagittas
Fregit, & extinctas mœsta Erycina faces.
Sed quamuis homines tangant tua fata, Deosq́;
Nulli flebilior, quàm mihi, vita iaces.
Felices animæ, quibus is comes ipsa per vmbras,
Et datur Elysium sic habitare nemus.

De Nisæa Charitei coniuge.

Dum parit, & longas iterat Nisæa querelas,
Scinditur incerta seditione polus.
Pierides puerum, Charites optare puellam:
His Venus, ast illis docta Minerua fauet.
Astat amans Veneri Mauors, Phœbusq́; Minerua:
Magnanimusq́; æqua Iuppiter aure sedet:
Cùm subitò aurato surgit puer improbus arcu,
Et cœlum notis territat omne minis.

Assen-

Assensere metu superi: pater ipse Deorum
Risit, & Aonias iussit abire Deas.
Exultat palma Venus, & nascente puella
Augentur Charites, Cypria turba, Deæ.

Ad Fridericum Regem.

Edicto nuper cùm tu Rex magne caueres,
Audaci ne quis stringeret arma manu:
Deposuisse tuum vel primus diceris ensem,
Et monstrâsse palam primus inerme latus:
Quid maius populis ue tuis Friderice, vel vrbi
Accidere huic nostræ per tua dona potest?
Post domitos hostes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis viuere posse tuis.
Publica nimirum res tunc sibi constat, & æquum
Imperium, cùm Rex, quod iubet ipse facit.

De emendatione Catulli ad Iouianum.

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
Ingratosq; trahat Lesbia sola choros:
Non tam mendosi mœrebit damna libelli,
Gestiet officio quàm Iouiane tuo.
Ille tibi amplexus, atq; oscula grata referret,
Mallet & hos numeros, quàm meminisse suos.

In gemmam suam.

Hæc, mihi quæ roseos iussit sordere hyacinthos,
Et nitet articulis vnica gemma meis,
Cuius in exiguo ductor stat Troicus orbe,
Anchisesq́; senex, Ascaniusq́; puer:
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
Et vili latuit semisepulta solo.
Tu tamen obrueras, nec te Sinuessa pudebat,
Hoc decus heu terris occuluisse tuis.
Scilicet Æneam natumq́; patremq́; gerentem,
Ignibus ereptos obrueresq́; Deos?
Parcere debueras, cui iam pia flamma pepercit,
Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgasq́; feros, rigidosq́; Britannos
Hac comite ignotos & penetrare sinus?
Hæc est Iliacos pietas spectata per igneis,
Cum verita est profugos lædere flamma Deos.

De Endymione, & Luna.

Spreuerat hirsutas pascentem Pana capellas
Candida nocturnis quæ Dea fertur equis.
At postquam niuea conspexit munera lanæ,
Posthabuit notas Endymionis oueis.
Qui simul ac tristeis somno inclinaret ocellos,
Mors hæc, mors, inquit, non mihi somnus erit.

De

De Ferdinando iuniore.

Corniger æsculea Faunus recubabat in vmbra,
Cùm propè latranteis sensit adesse canes.
Mox iuuenem superis similem, diuináq; tela
Conspiciens, trepido sic mouet ora sono:
Seu Mars, siue alto Phœbus descendis olympo,
Iam iam linquo omneis te veniente feras.

De Poggio Florentino historico.

Dum patriã laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est ciuis, nec bonus historicus.

De Diana, & Ferd. II.

Errabat Diana suis immixta puellis,
Cùm procul ecce mei conspicit ora Ducis:
Atq; ait: huc Nymphæ concedite: namq; propinquat,
Qui regat insanas certius arma feras.

In Quintium.

Clara tibi videor scripsisse epigrammata Quinti.
Sunt fateor: medio scripsimus illa die.
Tu latebras obscurus amas: quia lumine nullo,
Atq; intempesta scribere nocte soles.

In tumulum Annibalis.

Annibal huc victas secum Carthaginis arceis
Transtulit: hac ambos terra Libyssa tegit.

In Fabianum.

Esse tibi sapiens, & vir Fabiane videris:
At mihi nec sapiens, nec Fabiane vir es.

De Prætore præside deside.

Ait nefastas esse nundinas Prætor,
Fari recusat: quid nefastius dicas?

Atramentum scriptorium.

Ferrum putre situ spumanti feruet aceto,
Mandet vt æternis scripta voluminibus.
Scilicet hoc illud, vatum volitare per ora:
Hoc est, Pyramidas vincere Nile tuas,
Infelix fatum: sanies rubiginis ergo
Eripit inuiso nomina nostra rogo?

Ad Fridericum Regem.

Ne tibi non aliquid Iani misisse calendis
Arguar, aut lætam non celebrâsse diem:
Mittimus hybernis seruatas mensibus vuas,
Insuper & faustas addimus ore preces,
Vt tibi qui nitido cum Sole renascitur annus,
Felici redeat candidus vsquè pede.

In Mancinum.

Qui ferro fratres, stupro Mancine sorores
Fas violare putat, quid putat esse nefas?

De mirabili vrbe Venetiis.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari:

Nunc

Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arceis
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, vrbem aspice vtramq;,
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

De Alphonso Duce Calabriæ.

Alphonsus magnum dum traiicit Apenninum,
Castráque non solita primus in Alpe locat:
Armorum sonitus, galeasq́;, eratáque tela
Syluarum dominæ pertimuere Deæ.
Nec minus occultas Satyri petiere latebras,
Assueti imbelleis antè videre feras:
Spectârúntq́; procul celsa de rupe silentes:
Agmina dum, & magnos cogeret ille duces.
Atq; aliquis signa aspiciens, miratur, & inquit:
Imperium vobis vrbis, & orbis erit.

De Innocentio VIII. Pontifice Maximo.

Innocuo priscos æquum est debere Quirites.
Progenie exhaustam restituit patriam.

De Vetustino.

Emit sepulchro prædium Vetustinus,
Sed quod futuros non sequatur hæredeis,
Iratus æquè mortuisque, viuisque.
Scribique curat grandibus notis, demens,
Viginti in agro, in fronte ter pedes octo,
Habitat sub vrbe scandulis tribus tectus,

Ne pensione degrauetur, aut sumptu.
Dormit grabato, quo nec ipse iam vellet
Dormire cimex, nec lacerta, nec sorex.
Cœnat per hortos alliumque, cæpasque,
Et salgamorum iure, liuidos caules:
Vel, si quid optat vnctius sibi poni,
Piscatur ipsis in paludibus ranas:
Aut è cloaca colligit meras sordes,
Putrem palumbum, mortuúmue caponem.
Et doliorum turbidam bibit facem,
Tanquam Falernum consulare, vel Chium,
Opimiana quod refuderint cella.
Nec iam profestis hoc, sed idibus tantùm
Sacrisq́ potat ferculis calendarum.
Et manè veste currit anxius rapta
Ad architectos, marmorumq́ sectores,
Ut de sepulchro conferat nouas liteis.
Quos iam misellos pessimis modis multat,
Ducit, reducit, distrahit, rapit, vexat,
Per angiportus, viculosque, cliuosque,
Et per ruinas vrbis, & per anfractus.
Monstrat theatra, porticusq́ priscorum,
Arcusq́ claris principum sacros armis:
Hinc & Deorum templa, & obrutas thermas,
Et quicquid altis fornicum subest cliuis:
Nec iam fauissas linquit, & nigros manes.

Demùm

Demùm trecentis cum laboribus fractos,
Et æstuanteis pariter, & fame siccos
Vix officina post meridiem reddit
Iam feriatæ, vectibusq́ adhuc clausæ.
Culpat coronas, Zophorumq́ permutat:
Spiras reformat, & scapos columnarum:
Et nunc Hetruscas, nunc Corinthias mauult:
Nunc Doricarum laudat ordinem tantum,
Guttas, trigliphos, tænias, thoros, plinthos.
Quid cum columnis nunc tibi Vetustine,
Aut cum voluta, Ionicísue puluinis?
Dormi miselle, sat diu laborâsti:
Cœnare fessos & aliquando permitte.
Aut, si sepulchri cura te coquit tanta,
Cadauer istud vel gemoniis conde.

De Hybla.

Hybla mei quondam dulcissima cura Marulli,
Hybla suburbano nuper humata solo:
Accipe quæ multo premuntur verba dolore:
Accipe de lachrymis humida serta meis.
Te rosa, te violæ, te mollis amaracus ornet:
Te pia suspenso pondere velet humus.
Et tibi, quod raræ possunt sperare puellæ,
Contingant vatis carmina docta tui.

De Aufidio.

Dum caput Aufidio tractat chirurgus, & ipsum
Altius exquirit, quò videat cerebrum:
Ingemit Aufidius, quid me chirurge fatigas?
Cùm subij rixam, non habui cerebrum.

Ad Alphonsum.

Qui prius Herculea sensit Leo vulnera claua,
Hic Alphonse tuos corruet ante pedes.
Quaq; viret nostras quercus passura secures,
Deseret immundos fulmine tacta sues.
Victa dabit Bellona manus: Pax arua reuiset:
Claudentur dira Marte sedente fores.
Tunc pia Parthenope latos tibi ducet honores:
Per fora, per vicos ocia vulgus aget.
Sebethosq; pater fluuiis metuendus Hetruscis,
Aurea caruleum tollet ad astra caput.

In Ollum.

Omnia facturum te dicis, nil facis Olle.
Nil mirum: leuius dicere, quàm facere est.

Ad Rufum.

Tanquam prisca mihi, saxóque inuenta vetusto,
Disticha Rufe soles sape referre tua.
Stultum adeo me Rufe putas? ego tam mala credam
Carmina Romano marmore posse legi?
Archemoro longos affingis Nestoris annos.
Andromaches puerum Laomedonta vocas.

Desine mentiri Pyliam, Phrygiamq́; senectam.
Sint vetera hæc aliis, mî noua semper erunt.

De Cyparisso puero.

Flebat adhuc mœrens ceruo Cyparissus adempto,
Cùm sua conspexit cortice membra tegi.
Delius exclamat: quid nostro sylua dolore
Crescis? tu Daphnen, tu Cyparisson habes.

De Iucundo architecto.

Iucundus geminos fecit tibi Sequana pontes:
Iure tuum potes hunc dicere pontificem.

De Ænea, & Didone.

Immemor ah misera cur ensem linquis Elisæ
Nate Dea? profugas non grauat ille rates.
Anne parum fuerat causam dare mortis acerbæ,
Ni ferrum fugiens tu quoq; triste dares?
Tolle precor tumidas tecũ hoc, iam tolle per vndas.
Discessu, satis est, si perit illa tuo.

In Cæcilianum.

Si tibi per genium fas est iurare Mineruæ,
Per Veneris flauas Cæciliane comas:
Nec iubar excipitur Solis, nec cornua Phœbes,
Nec Capitolini crura, caputq́; patris:
Cur mihi tu ventrem, cur intestina Deorum,
Hispana tactus relligione, sonas?
Non pudet heu cœlum rebus fœdare pudendis?
An credis magnos hæc quoq; habere Deos?

De Cæſ. Borgia.

Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia, quid ni?
Cùm ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil.

Ad eundem.

Omnia vincebas: ſperabas omnia Cæſar.
Omnia deficiunt: incipis eſſe nihil.

Dies genialis.

Aureli perfunde meis vnguenta capillis
Tu ſuper, & vernas ſparge Nearche roſas.
Sed prius æſtiuum ramis defendite Solem,
Et viridi mollem ſternite fronde torum.
Non pluma, non picta iuuant me ſtragula, nec quæ
Pauonis vario ſponda colore nitet.
Larga coronata diſponite pocula menſa,
Satino & gelidas adſociate niues:
Certatimq́; leues potanti inducite ſomnos.
Sic iuuat ætatis ducere fila meæ.
An ſcimus miſeri, quid lux ventura minetur?
Viuamus: mortem fallere nemo poteſt.

In malum librum.

Si ſapis, hoſpes abi, miſerum neu tange libellum,
Non hîc Mœoniden, Virgiliúmue leges:
Sed fœdas Bauij chartas, & olentia Maui
Carmina, Romani dedecus eloquij.
Quid dubitas ſacros incendia poſcere lucos,
Abnuerit liquidas ſi dare Phœbus aquas?

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, VIRI PATRITII, Epigrammaton

LIBER II.

CVm vehor picta vacuus Phaselo,
Et modo septos iaculis echinos,
Nunc bene hærenteis scopulis laboro
Vellere conchas:
Tange vocaleis studiosa chordas
Musa, & auratum moderare plectrum:
Pauca de multis referamus acta
Regis amati.
Qualis herboso spatiata campo
Virgo, iam matris decus, & voluptas,
Nectit è solis violis coronam,
Cætera linquens.
Hic vbi veras imitata turreis
Tot simul pinnis, niueisq; tectis,
Rupe Mergillina sedens propinquum
Spectat in æquor,
Adsit ex imo Galatea fundo,
Nil timens, sæuos Polyphemi amores,

Nec mihi durum refluens canenti
Obstrepat vnda.
Sit licet magnus, trepidasq́ turmas
Fregerit primis Fridericus ausis,
Cùm puer celsas penetrauit Alpeis,
Saxáque Rheni.
Texerit latis pelagus carinis,
Dalmatûm diteis populatus vrbeis:
Senserit presso propè fulminantem
Ore Timauus:
Cinxerit sacra meritum corona
Et caput, Gallos quoniam feroceis
Contudit: totas reuocârit Orci ex
Faucibus vrbeis.
Nil tamen maius, nihil egit vnquàm
Fortius, quàm quòd titubante regno,
Cùm sibi sceptrum, & diadema posset
Sumere tutus,
Coniugem charam, propriosq́ natos
Liquit, & fidas lachrymas clientum,
Fratris heu pulsam sobolem secutus
Per mare vastum.
Ergo nunc illi moderator alti
Ætheris, cui sunt pia facta curæ,
Regium frontis decus, & negatos
Addit honores.

O fides,

O fides, rarum, placidumq́ numen,
O mihi nullis reticenda seclis,
Te te ego æternum prece, victimisq́
Pronus adorem.

De Andrea Matthæo Aquiuiuo.

Cernis, ut exultet patriis AQVIVIVVS *in armis,*
Duraq́ spumanti fræna relaxet equo?
Quis miteis illum Permessi hausisse liquores
Credat, & imbelleis excoluisse lyras?
Consurgunt niueæ fulgenti in casside cristæ:
At clypeus toruo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrũ,
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Hæc ducis est virtus, non vni insistere palmæ,
Sed nomen factis quærere, & ingeniis.

In Bubonem.

Nam quis te ineptè bubo tam stolidus furor
Adegit, importunum inire prælium,
Isto indecenti rostro, & alis luridis?
Quid bellicosæ volucris insulse asperos,
Lacessis vngueis? desine miser, dum licet,
Ne dormientis excites somnum tuo
Cũ maximo (ut par est) malo, ac clade vltima.
Sed peruenire vis in ora vulgi, & hac
Via cupis sceleste fieri notior?

Non assequère, nec profectò tam bono
Fruère fato. An hoc pudendo sanguine
Se tingat aquila fulminum & cœli immemor?
Ponenda honesta mortis hæc spes est tibi.

Ad Mathonem.

Ut mandem victura meis tua nomina chartis,
Dicis amicitiam te Matho velle meam.
Et tibi semper in ore duces, quos Graius Homerus,
Quos noster Latia vexit in astra tuba.
Dumq; ego sum tanti te iudice, venit ab horto
Cum donis holitor bísue semélue tuus:
Scilicet æterni pretium mihi grande daturus
Nominis, & fidæ pignus amicitiæ.
O Matho, quàm felix & amico, & vate reperto es,
Quàm felix horto, muneribusq; tuis,
Si quod Diis genitis vix tot peperere labores,
Id tibi lactucæ prototomiq; dabunt.

De patria Homeri.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ
Cedite iam: cœlum patria Mæonidæ est.

Ad Ferrandum Regem.

Ex ferro nomen tibi sit licet, aurea condis
Sæcula: nam sub te principe nemo metit.

De Summontij pietate.

Excitat obstrictas tumulis Sommontius umbras,
Impleat ut sanctæ munus amicitiæ.

Vtq́ꝫ prius viuos, sic & post vata sodales
Obseruat, tristes & sedet ante rogos.
Nec tantùm violas cineri, ac bene olentia ponit
Serta, sed & lachrymis irrigat ossa piis.
Parua loquòr: cultis reparat monumenta libellis,
Cùm possint longam saxa timere diem.
At tu, viuaci quæ fulcis nomina fama,
Poscenti gratas Musa repende vices:
Vt quoniam dulceis optat sic viuere amicos,
Viuat, & in libris sit sacer ille meis.

In Flaccum.

Non largitur opes, & vult epigrammata Flaccus,
Iure suo hæc poscit, vult sibi verba dari.

De Peto compatre.

Petus delitiæ tuæ Dione,
Vni cui Charitum sales beatos,
Cui fontes dederas facetiarum,
Ac risu simul eleganter omnes,
Petus mortuus est tuus Dione,
Petus compater vsqꝫ ad astra notus.
Qui puro niuea colore mentis
Vincebat nitidissimos olores.
Cui de lacteolis tuis papillis
Donârunt violas Iocusq́ꝫ, Amorq́ꝫ,
Donauit teneram Thalia myrtum.

Mox promens citharam decentiorem,
Versus addidit eruditiores.
O sæua nimium, malæq́; Parcæ,
Vestros non potuit tenere fusos
Petus: qui rapidas domare tygres,
Qui duras potuit mouere quercus,
Vestras non potuit colos morari.
Sic, sic óccidis, heu misselle Pete:
Nec te Pierides tuæ, nec ipsa
Quæ te per Paphon, & Gnidon virentem,
Per colles Amathuntios vocauit,
Fatis eripuêre tam malignis.
At non vnanimes tui sodales,
Quos tu pectore tam pio colebas,
Quos tristes obitu tuo relinquis,
Hoc duro tibi defuêre casu.
Quin me trans Ligerim, ferosq́; Celtas,
Lustrantem Morinûm pigras paludes,
Dum quæro Oceani vltimos recessus,
Veris nuntius obruit querelis.
Ergo quid tibi tam vagus viator,
Cui nec pulchra Neapolis, nec alti,
Colles Pausilypi, nec ipse adesset
Sebethos pater: aut pater Vesenus,
Inferre exequiarum amice possem?
Rupem, quam vagus hinc, & inde Nereus

Alterna veniens retundit vnda,
Accessi, & procul angulo in supremo
Stans, supra pelagi alluentis æstus,
Manes terq́ꝫ, quaterq́ꝫ conuocaui.
Hic fudi lachrymas amariores:
Hic vici gemitus vel vnus omnes,
Omnes & simul omnium querelas.
Mox quamuis cineri tuo docentem
Pontanus tumulum parârit, ac te
Cognatas veneretur inter umbras:
Quamuis & diuturnius sepulchrum,
Quod nec secula vincere ipsa possint,
Diuinis paret excitare chartis:
Nostrum non tibi qualecunqꝫ munus
Inter frigora, sollitudinesq́ꝫ
Cessauit, nec honore te supremo
Fraudaui miser: hoc scit ipsa Tethys.
Scit latè Oceani vnda Gallicani.
Stant aræ tibi, stat, videnda nautis,
Terreni tumuli pusilla moles,
Et buxus super, & dicata quercus.
Nam myrtum regio illa non habebat.
Quæ iussit pietas sacrare, vt esset
Naturæ tibi terminus sepulchrum.

Ignes nocturni Romæ.

Aspicis, vt picti vultus imitetur olympi,
Certet & astriferos vincere Roma polos.
Scilicet hos Auguste tibi largitur honores,
Ne cupias magni tecta videre Iouis.
Alta coronatæ iactant incendia turres:
Et Vaticano fulmina monte tonant.
Dumq; palàm tantos cupit ostentare paratus
Vrbs nimium in laudes ambitiosa suas:
Viuant astra, inquit, summo contenta Tonante,
Pareat Augusto dummodò Roma suo.

De Tyrannis, & Bruto.

Cùm tot Tarquinios passim consurgere cernas,
Miraris, Brutum cur ferat Italia?

In tumulum pueri.

Nate patris, matrisq; amor, & suprema voluptas,
Accipe, quæ nobis te dare par fuerat.
Busta eheu, tristeisq; notas damus, inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

In degenerantem.

Nomen aui, non fata refer: diceris ab illo
Alter, sed iuuenis tu, precor, ille senex.

De Hercule, & Ioue.

Pendebat Phrygij Tirynthius ore ministri,
Delicias magno dum facit ille Ioui.
Tum pater: Haud equidem faui, fortissime, dixit,
Formosum rapuit cùm tibi Nais Hylam.

De

De Venere, & Pallade.

Induerat thoraca humeris, galeamq́; decoro
Aptârat capiti, Marte iubente, Venus.
Nil opus his, Sol, Diua, inquit, sumenda fuerunt,
Cùm vos ferratæ circuiere plagæ.

Catonis tumulus.

Hìc, vbi libertas, magni & iacet vmbra Catonis,
Quàm melius poterant Cæsaris ossa tegi?

De Venetorum signis.

Romanas Aquilæ postquam liquêre cohortes,
Magnanimus turmas ducit in arma Leo.

De Andrea Matthæo AQVIVIVO Duce Hadriæ.

Mœsta Bituntinæ duxerunt otia Nymphæ,
Nec Faunis solitos exhibuere choros.
Scilicet optato quicquid sine principe cernunt,
Ingratum est, tantus principis vrget amor.
Nec satis est, positis arcum spreuisse sagittis,
Questubus & totos continuâsse dies:
Ast etiam nostris faciunt conuitia terris:
Et nos Syrenas, Lothophagosq́; vocant.
Vera loquor: diuæ veniam date vera loquenti:
Non amor hic certè, sed magis inuidia est.

In theatrum Campanum.

Dicite semidei, syluarum numina, Panes,
Et si qua aduentu es Nympha fugata meo:

Cui licuit tantas saxorum euertere moles,
Quas iam disiectas vix nemora alta tegunt?
Hísne olim sueta est cuneis Campana iuuentus
Amphitheatrales læta videre iocos?
Nunc vbi tot plaususq́ hominum, vocesq́ canoræ,
Tot risus, tot iam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus,
Et quæ sustulerat deprimit ipsa dies.

De fonte Mergillines.

Est mihi riuo vitreus perenni
Fons, arenosum prope littus, vnde
Sæpe discedens sibi nauta rores
Haurit amicos.
Vnicus nostris scatet ille ripis,
Montis immenso sitiente tractu,
Vitifer quà Pausilypus vadosum ex-
currit in æquor.
Hunc ego vitta redimitus alba,
Flore, & æstiuis veneror coronis,
Cùm timent amnes, & hiulca sæuum
Arua Leonem.
Antequam festæ redeant calendæ
Fortis Augusti, superantq́ patri
Quattuor luces, mihi tempus omni
Dulcius æuo.

Bis mihi sanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque semper
Thurris acerra.
Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primùm mihi vagienti
Phœbus illuxit, pariterque dias
Hausimus auras.
Hac & insigni peragenda ritu
Sacra solennes veniunt ad aras,
Nazari vnde omnes tituli, meaque
Nomina gentis.
Nazari vastas cohibentis vndas
Aequoris, sæuosque domantis æstus,
Quicquid & vani truculenta iussit
Ira Neronis.
O decus cœli, simul & tuorum,
Ritè quem parua veneramur æde,
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti:
Huc age, & fontem tibi dedicatum
Sæpe reuise.

Diuo Nazario.

Natali quòd, Diue, tuo lucem editus hausi,
Quòd tua nascenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo paruum cum fonte sacellum
Dedico, tu nutu fac rata vota tuo:
Vt qua Sextiles lux venerit ante calendas
Quarta, sit hìc generi bis celebranda meo,
Et quòd solennes reuocat tua festa per aras,
Et quòd natalem contigit esse meum.

De lauro, ad Neritinorum Ducem.

Illa Deûm lætis olim gestata triumphis,
Claraq; Phœbæa laurus honore comæ,
Iampridem male culta, nouos emittere ramos,
Iampridem baccas edere desierat.
Nunc lachrymis adiuta tuis reuirescit, & omne
Frondiferum spirans implet odore nemus.
Sed nec eam lachrymæ tantùm iuuere perennes,
Quantùm mansuro carmine quòd colitur.
Hoc debent AQVIVIVE *Duces tibi; debet & ipse*
Phœbus: nam per te laurea sylua viret.

In tumulum Cottæ Veronensis.

Sperabas tibi docta nouum Verona Catullum:
Experta es duros bis viduata Deos.
Nulla animum posthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.

Quæ

Quæ tamen vt vidit morientis frigida Cotta
Ora, suum fassa est crimen, & erubuit.

De Ferrando iuniore.

Si merita audieris Ferrandi, Nestora credas:
Si numeres annos, dixeris Antilochum.

Tumulus, in quo ploratur filius vnicus.

Cur heu lætitiam falsò dixere parentes?
Tristitiam qui me dicere debuerant.
Natus erat miseræ lux vnica, matris ocellus
Vnicus, hunc Lachesis noxia subripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi, cuius habet sors
Hoc melius, fieri saxea quòd potuit.

In picturam.

Anna parens, cui cœlestem sperare nepotem
Contigit, intactæ virginis Anna parens:
Vt tandem tete meliori in sede locares,
Credibile est artes edidicisse nouas.
Scilicet obscœnæ semper conuitia turbæ,
Et scelera antiqui perpetiar domini?
Vix hæc: & medicas innadis protinus artes,
Nec mora, iam cæcis lumina restituis.
Accurrunt ægri, complentur compita rhedis,
Occupat angustas sedula turba vias.
Ecce in quo picta es paries excinditur, & te
Accipit hospitio nata benigna pio.

Nimirum

Nimirum ſapis Anna, hoc contulit ipſa ſenectus:
Haud aliter poteras hac caruiſſe domo.

In Catonis laudem.

Quæ tegit extinctum cum libertate Catonem,
Inſultat tumulis Cæſar arena tuis.

De Homero in Latinum verſo.

Quid ſeptem de vate ſacro contenditis vrbes?
Ecce poteſt ciuem dicere Roma ſuum.
At vos aut noſtrum, ſi fas, auferte Maronem,
Aut alium vobis quærite Mæoniden.

In tumulum Aſſanij.

Tu, qui deſiectos artus, inhumataq́; furtim
Aſſanij occulto membra refers tumulo,
Macte animi pietate, tamen nihil irrita buſti
Gloria tam claros afferet ad cineres:
Quandoquidem voluit potiùs ſic ſparſa iacere,
Quàm cadere ad triſtes nobilis vmbra rogos.
Nunc latè exigui fines egreſſa ſepulchri,
Eoum fama verberat Oceanum.
Contempſit dulcemq́; animam, floremq́; iuuentæ,
Sanguine vt agnato dedecus elueret.
Cumq́; auſit ſæui ſtricto latas enſe tyranni,
Laudem obitu ſtatuit quærere, non tumulum.
Quodq́; magis mirere, hilaris, ridensq́; cruentos
Carnificis cultros cernere ſuſtinuit.

Dißimulet patriam, taceat nomenq́ genusq́:
Qui facit hoc, dicit se Lacedæmonium.

In tumulum Caudolæ.

Heu quæ te rigidi rapuit vis effera fati,
Quis matri miseræ tot peperit lachrymas,
Flos veterum Caudola virûm? tibi mœsta sepulcrũ
Illa dedit, tristes Actius hos titulos,
Hos titulos, qui te nigras descendere ad vmbras,
Obduci Stygia non patiantur aqua.
Tempora miretur quiuis sua: talis Achilles,
Talis, cùm caderet, Martius Hector erat.
I precor, i nullos non durature per annos,
Nestoreos qui iam viuere dignus eras.

Hymnus ad D. Nazarium.

Nazari heu quis me tibi ad hanc supremi
Littoris ripam, quis ad hos putâsset
Tethyos fluctus, quis ad has daturum
Thura paludes?
Post tot emensos pelago labores,
Tot, pererratos populos, sub ipso
Fine terrarum datur ecce amicum
Cernere numen.
Ergo in extremis, pater alme, terris
Barbaræ norunt tua sacra gentes,
Quà latus dextrum Liger æstuosis
Obiicit vndis.

O Iamq́

Iamq́ & Aulercos, genus acre, & ipsos
Cernis ad te Lexouios citato
Essedo, & picta volitare flauos
Puppe Britannos.

O mihi semper geniale cœli
Sidus, ô famæ decus omne nostræ,
Autor ô idem mihi gentis, & spi-
rabilis auræ.

Se tibi debet proauorum origo, &
Sanguinis si sunt decora vlla nostri:
Debet & præsens genus, & futurum,
Debet & hæc lux

Sacra, quæ magnum mihi prima solem
Obtulit nascenti, & inane aperti
Aëris, pulchrosq́; micantis æthra
Tot simul ignes.

Hinc tuis per me dare grata templis
Munera, hinc natalitias coronas
Annuis sueuit sociare sertis,
Dum fuit hæc sors.

Nunc in ignotis vagor ecce campis,
Regis heu chari exilium secutus,
Dum fides, & fas, & amor, piusq́;
Me rapit ardor.

I puer, buxum nemore è propinquo
Collige, & si quas tibi littus offert

Quer-

Quercuum frondes: celebrare mœstum
Sic iuuat annum.
O vbi dulces patriæ recessus
Abluis Sebethe loca illa myrto
Consita, ô qui Pausilypi virentes
Det mihi citros,
Quà tuum lambens maris vnda fontem
Margines parui minuit sacelli,
Nostrum opus, quo se recreet quotannis
Læta iuuentus.
Quæ tibi sacris operata arenis,
Frondibus remos, celeresq; cymbas
Ornat, & forsan mea nunc, vt olim,
Dona requirit.
Heu pater, cur, heu, mihi ad institutos
Non licet iam iam properare cursus?
Cur vetor templis, & adesse ludis
Ritè dicatis?
Si satis ventos toleráβe, & imbres,
Ac minas fatorum, hominumq; fraudes:
Da pater tecto salientem auito
Cernere fumum.

De Camilla Scalampa Medionalensi.

Fumantem ambustis olim Phaëthonta quadrigis
Excepit rapidis fluctibus Eridanus.

Ecce recens Ticine tibi de Sole trophaum
Erigit auratis culta Camilla comis.
Nam Deus ille tuis ausus concurrere ripis,
Maioris numen sensit adesse Dea.
O fatum fluuiorum: ergo noua fabula vestris
Semper erunt Nymphis aut pater, aut Phaëthon.

Ad animum suum.

Arsisti, & miseras consumpsit flamma medullas,
Aridaq; in cineres ossa abiere leues:
Fleuisti, roremq; oculi fudere perennem,
Sebethus lachrymis creuit & ipse tuis:
Ardendi, flendiq; igitur qua tanta cupido est?
O anime, exequias disce timere tuas:
Neue iterum tua damna, iterum tua funera quaeras:
Sirenum scopulos praeteriisse iuuet.

Hymnus diuo Gaudioso.

Gaudete cœtus virginum
Plenas habentes lampadas.
Sponsus sacras ad nuptias
Venit repentè: surgite,
Venit serenus Lucifer,
Nocturna pellens sydera:
Optata lux solennibus
Adest dicata gaudiis,
Lux clara, qua fugans nigram
Mundi sator caliginem,

Vestri

Vestri latere gloriam
Patris diu non passus est.
Qua Gaudiosi segmina,
Tot in reperta seculis,
Suis videnda ciuibus,
Diues retexit vrnula.
O ter beate & amplius
Lapis pusille, qui tuo
Tanti verendum præsulis
Sinu recondis puluerem.
Præsul sed ô beatior,
Claræ decus Neapolis,
Tuæ benignus patriæ
Fer Gaudiose gaudia.
Adsit fides, & veritas,
Adsit probata castitas:
Morbos, famem, pericula
Tuis repelle mœnibus.
Ergo tibi sit gloria
Inseparata Trinitas,
Verbum, Paterq́; & Spiritus,
Qui condidistis omnia.

De eodem, ad vesperas.

Audiat surgens, pariter cadensq́;
Sol tuas laudes, meritosq́; honores,

Vrbis ô nostra columen, tuaq;
Gloria gentis.
Audiat cœlum, mare, terra, & aër,
Annuos ritus tibi dum nouamus,
Dum damus flammis adolenda sacris,
Thura per aras.
Huc ades festa redimite fronde,
Cœlitûm plausus, choreasq; linquens,
Et tuam sedem, tua Gaudiose
Ossa reuise:
Ossa, quæ longa tumuli sub vmbra
Abdita, ignaras latuere gentes,
Nocte mox pulsa redeunt apertas
Lucis in auras.
Hic dies nobis celeber, precamur,
Lætior semper redeat, nec vllos
Hostium motus ferat, aut maligni
Sideris æstus.
Da tuis longam venerande pacem
Ciuibus, da perpetuos honores,
Da bonam mentem, superisq; plenos
Luminis haustus.
Iusta poscentes animos benignus
Adiuua, iniustos moderare sensus.
Sentiat per te patuisse castis
Aethera votis.

Laus tibi cœli pater, atque princeps,
Omnium rector simul & creator,
Quem fides veri studiosa trinum
Credit, & vnum.

Ad diuum Nazarium.

Diue, cui vasti metuenda ponti
Vis, & iratæ famulantur vndæ,
Quem per & spumas gradientem, & æstus
Nauta vocauit.
Ah miser pœnas pelago daturus,
Cùm niger circum streperet procellis
Auster, & turbata minax feriret
Sidera fluctus:
Te, mihi sanctum, patriumque numen,
Te canam, gentis columen Latinæ,
Auream prolem patris Aphricani,
Perpetuaque,
Matris heu vulnus graue, dum relictis
Tybridis ripis, Italoque cœlo
Sponte trans Rhætos iter, & niuosas
Arripis Alpes,
Lacte depulsus, velut ille, primi
Quem rapit cursus generosus ardor
Pullus, & matrem fugit, & rapaceis
Transilit amnes.

Mox & ad Rhenum, horribilesq; tendis
Treuerûm gentes animosus hospes,
Morte festinans capere inuidenda
Præmia palmæ.

Hic, vbi è chara gremio parentis,
Iam necis magnæ comitem futurum,
Excipis celsum pater, & salubri
Perluis vnda.

Perluis totas, mora nulla, & vrbes:
Vndiq; exhaustis properatur agris:
Barbaros gaudent Dryidæ sacrorum
Ponere ritus.

Nazari nomen, meritiq; famam
Audiit, si quem Liger in remotis
Occulit ripis, refugóue inundat
Sequana cursu.

Te neq; iniusti rabies Neronis,
Impios iam iam minitantis ignes,
Non per exertos Anolinus vrgens
Terruit enses.

Iam voluptatum, gelidæq; victor
Mortis, & lapsi reparator orbis.
Diceris, milesq; peræq; Iberis
Notus, & Indis.

Ergo speratum genitor triumphum,
Et parum factis meruisse cœlum est:

Aureum

Aureum vultu iubar, & coruscos
Fundis honores.
Salue iò magni noua lux olympi,
Cui per extentas operosa terras
Templa tot surgunt, calidisq; fumant
Ignibus aræ.
Nos tibi hac grata scopulorum in umbra
Ritè paruis ædiculam columnis
Ponimus: nos perpetuo sacramus
Munere fontem.
Accipe æstiuam, noua serta, citrum, &
Virgines lauros, graciles q; myrtos,
Quosq; Mergillina tulit propinquo
Littore odores.
O mihi longos liceat per annos
Hic sacra, & festos renouare ludos,
Et tuum castis sine fraude votis
Poscere numen.

De Ferdinãdo Daualo Piscariæ Principe, Caroli V. Cæsaris potẽtiss. & inuict. belli Duce.

Admoueant iterum cœlo si castra gigantes
Hoc duce, quo Ligurum gloria fracta iacet:
Cum Marte Enceladus, cum Phœbo signa Typhœus
Conferet, hic Daualus cum Ioue bella geret.

In Nolam vrbem.

Infensum Musis nomen, malè grata petenti

Virgilio optatam Nola negauit aquam.
Noluit hæc eadem Iouiano rustica vati
Hospitium parua contribuisse mora.
Iccirco nimirum hoc dicta es nomine Nola:
Nolueris magnis quòd placuisse viris.
At tibi pro scelere hoc cœnosos fusa per agros
Exhausit populos Styx violenta tuos.
Iamq́ue quid, ô nullis abolenda infamia seclis,
Imprecer? & cœlum desit, & vnda tibi.

In Lygdamum.

Quæris Lygdame, musca cur voceris?
Nam musca es, mihi crede, tam molesta,
Quàm nec sunt culices, grauesq́ue fuci,
Quàm nec vermiculiq́ue, cimicesq́ue.
Unum te tamen arceat necesse est,
Turdela auxilium cacantis, vt te
Non muscaria, miluiiq́ue cauda,
Non ala accipitrum potentiorum
Auertant, abigantq́ue sæuientem.

Ad Fridericum.

Litibus abstinui semper, mihi testis Apollo est,
Et Musa, & studiis ocia grata meis.
Nunc me nescio quis per tristia iurgia versat
Scotius, & rauci cogit ad arma fori.
Es fateor magnus pulsis Rex inclyte Gallis:
Pelle etiam Scotos, & mihi maior eris.

Ad

Ad Eunum.

Quicquid erat tripodum Cumis, Delphisq; petisti,
Discere fortunam dum cupis Eune tuam.
At Deus, extabis supra Regesq;, Ducesq;,
Veridico tandem rettulit ore tibi.
Tu tamen hinc vanos sumpsisti Gracule fastus:
Iam magni dominus, iam pater orbis eras.
Ecce crucem ascendis: non te Deus Eune fefellit:
Omnia sunt crepidis inferiora tuis.

Ad patriam, antequam iret in exilium.

Parthenope mihi culta vale, blandissima Syren:
Atq; horti valeant, Hesperidesq; tuæ.
Mergillina vale nostri memor, & mea flentis
Serta cape, heu domini munera auara tui.
Materna saluete vmbræ, saluete paternæ,
Accipite & vestris thurea dona focis.
Néue nega optatos virgo Sebethias amnes:
Absentiq; tuas, det mihi somnus aquas.
Det festiuo æstiuas vmbras sopor, & leuis aura:
Fluminaq; ipsa suo lenè sonent strepitu.
Exilium nam sponte sequor. Fors ipsa fauebit.
Fortibus hæc solita est sæpe & adesse viris.
Et mihi sunt comites Musæ, sunt numina vatum:
Et mens læta suis gaudet ab auspiciis:
Blanditurq; animi constans sententia, quamuis
Exilij meritum sit satis ipsa fides.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII VITA PER PAVLVM IOVIVM.

Doctorum item quorundam virorum in eundem

EPIGRAMMATA.

IACOBVS SANNAZARIVS equestris ordinis poëta, Neapolitanus, atq; educatus, quum præclarum fœcundi, atq; felicis ingenij specimē daret, repudiato auito gentilitioq; nomine, Actius Syncerus appellari voluit, adhortante Pontano, qui Iouiani cognomen, amicorũ imitatione desumpserat. Sed origo vetustæ stirpis è sancto Nazario, Laumellini agri oppido, inter Padum & Ticinum non ignobili, vnde maiores aduenerant, non obscurè petebatur. Floruit amicitia Friderici Regis, senescente Pontani gratia: qui Aragonum nomen vehementer offenderat, quum veluti personæ oblitus, victorem Carolum inuidiosa, vel intempestiua

ora-

oratione publicè laudâsset. Permansit in ea belli procella in officio Actius, redeuntique Ferdinando iuniori, armatus inter fideles ciues operam præstitit: vnde ei conspicuus in aula gratiæ locus. Sed infestiùs demùm vrgente Fortuna, quum Fridericus regno pelleretur; constanti studio atque integra fide, eum exulem in vlteriorem Galliam secutus est; qua gratissimi animi testificatione, singularem laudem promeruisse, vel eius inimici iudicabant. Scripsit, tanquàm ambidexter, Ethrusca simul, atq; Latina carmina, pari lepore saleque, arridentibus vtrinque Musis, quum multo felle odij, subamarus præpilata iacula iambis intorqueret; aut amorum suorum dulcedine resolutus, tenerrimè lasciuiret. Graui autem & sacro poëmate, de partu Virginis, viginti annorum lima perpolito, summum decus frustra expectâsse videri potuit; quum illæ quæ iuueni exciderant, piscatoriæ eclogæ publico exceptæ plausu, reliquorum operum famam oppresserint; ita, vt eam publici tanquàm iniqui iudicij querelā aperto cum pudore, nec tamen sine tacita voluptate deuoraret. Vixit annos septuaginta duos, peramœno, virentiq; semper ingenio,

accura-

accuratoque, & planè iuuenili cultu inter amatorias oblectationes; nunquàm non festiuus & hilaris: ex dolore autem indignantis animi, supremum concepit morbum, quòd Philibertus Aurantius Dux Cæsaris Mergillinæ villæ suæ delicias, temerè excisa turre deformâsset: ea ad Pausilypi radices conspicitur. Sed Aurantio demùm acie interfecto, quum hora fatalis adueniret, audito eius interitu sese in cubitum erigens; Excedam, inquit, è vita hoc meo non inani voto lætus, postquàm barbarus Musarum hostis, vltore Marte, immanis iniuriæ pœnas persoluit. Sepultus est iuxta villam Mergillinam in templo DEIPARÆ Virgini ab se dedicato. Marmoreo autem tumulo Bembus hoc carmen inscripsit.

BEMBI.

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus, Musa proximus, vt tumulo.

Marci Antonij Flaminij.

Quantum Virgilio debebit sylua Maroni,
Et pastor donec Musa Maronis erit:
Tantum penè tibi debent piscator, & acta,
Acti, diuino proximè Virgilio.

Tibal-

Tibaldei.

Virginis intacta partum, partumq́; videbis,
Actia quem docto pectore Musa dedit.
Admirandi ambo humana fuit ille saluti
Utilis, humanis hic fuit ingeniis.

Petri Grauinæ.

Qui diuina legis Synceri carmina vatis,
Magnaq́; virginei sacra puerperij:
Non hæc humano credas procedere sensu:
Autori mentem mouit, & ora Deus.
Hunc sibi delegit, quo non cœlestia quisquam
Grandius, aut pleno cultius ore sonet.

Basilij Zanchij.

Has nassas, hæc lina tibi Syncere sepulto,
Piscator tenui dedicat arte Mycon.
Hos calamos, myrtumq́; tibi, viridemq́; coronam
Arcadia pastor ponit ab arte Lycon.
Has lachrymas, vulsamq́; à vertice Mergillina
Cæsariem, & violas spargit, & ammineum.
Parthenope patria ipsa tibi de marmore bustum
Condit, & extentis funera temporibus.
Quid moror? æterni te suspicit vmbra Maronis,
Et tibi vicinum donat habere locum.

N. Nicolai Grudij.

Nuper ad Oenotrias aciem quum flecteret arces
Christus, & Euboica mœnia Parthenopes,

Mer-

Mergillina procul quà Tethyos inſpicit vndas,
Audit ab Actiaca munera blanda domo:
Arrectusq́ue diu modulamine carminis hæſit,
Inde ſacro taleis fundit ab ore ſonos:
Huc ades, ô Genitrix, illæſi virgo pudoris,
Arte pius vates dum tua facta nouat,
Anne iterum arcano compleri viſcera motu,
Conceptumq́ue polo reddere credis onus?
Certè ego mî videor primis irrepere cunis,
Rurſus & horrifera mortis obire vicem.
Dum mea ſæpe tamen ſic mors cantetur, & ortus,
Nec graue ſit naſci, nec mihi ſæpè mori.

Latomi.

Dum vacat, & terras quoties pellit illa Tonantis
Mater, virgineo ſed nec honore carens:
Synceri ad tumulum properat viſura, vireſcant
Candida cum rutilis lilia ſparſa roſis.
Viuum dein laticem, dein altera munera flores
Fundit, & arrepta ſic canit orſa lyra:
Conſcie viue mei felix Syncere pudoris,
Atque idem partus conſcie viue mei.
Namque ego quo ſacrum ſecretum teſte peregi,
Hunc quoque tu teſtem carminis huius habes.
Eſto: ventris onus fuerit ſine pondere pondus.
Dum celebres, pondus ſuſtinuiſſe velim.

Eiuſdem.

Maior

Maior in assumpto ratio quo nomine constet,
Est ubi te cupiam fellis habere minus.

Ioannis Pardi responsio ad eam epistolam quæ incipit; Parde.

ACTI, cui simplex peperit facundia nomen,
Synceri, & vita candida simplicitas:
Si pecus exiguum nobis, si commodus esset
Qui pecus, & dominum pascere posset ager,
Ipse quoq; in syluis non dedignarer opacis
Viuere, quas magni Diiq;, Deæq; colant.
Ruris deliciis fruerer, rurisq; labores
Exciperem fessis sæpius agricolis.
Hîc ego longa meæ cupiissem stamina vitæ
Deduci, hîc atram rumpere fila diem.
Par igitur nobis studium, disparq; facultas:
Hinc sequimur vitæ munera disparia.
Ergo prædiolis, tu, qui potes, utere auitis
Pinguius, & Siculis pasce pecus gregibus.
Mi quia nulli soli natalis cura relicta est,
Cura sit externi sydereiq; soli.

Gabr. Altilij ad Actium Syncerum & M. Ant. fratres, epistola consolatoria.

Vnanimi fratres, rapta qui matre doletis,
Et desiderio fletis uterq; pio:
Desinite ah lachrymis tam sanctos lædere manes,
Vos vetat elysiis illa recepta choris.
Illic optatis longum complexibus hærens,

Iucundo fruitur coniugis ore sui:
Felicesq; animas inter, cœtusq; verendos
Narrat natorum de pietate parens:
Scilicet his vt spem vidua solata iuuenta,
Deserti tulerit frigida regna tori:
Addet & obsequia, & dulces cum pondere mores
Iam tum cum patrias ferret vterq; vices.
Cum simul & nymphas, Satyrorũ & cantat amores:
Estq; in Synceri carmine tota sui.
Quod subito cantu turba excipiente Deorum,
Hinc, illinc variis plausibus arua sonant.
Massiliam chorus omnis, & atheria conualles,
Massiliam totis reddit & aura locis.
Illa autem æternos caro cum coniuge gressus
Iungit, & elysium sic terit alta nemus.
Quo iam pro lachrymis Panchæos vrite odores:
Orphæaq; moue tu fidis alter opus.
Non quibus infernas ille exorauerit vmbras,
Flebilibus supplex ausus adire modis:
Sed quibus & diuûm laudes, ipsosq; canendo
Heroas cælo, sideribusque locat.
Has mitti iubet inferias, hæc funera mater:
Ipsa sibi has lachrymas, hæc sibi busta rogat.

Hieronymus Carbo Actio Syncero.

Cùm tibi cœlesti faueat de virgine natus,
Mystica cui vatum sacra canenda dedit:
Cumq; ingens noua Musa decus, laudemq; parârit,

Inne-

Innectens capiti Delphica serta tuo:
Famáque cùm volitet circum plaudentibus alis,
Gestiat & sacra limina adisse domus:
Quid cessas Syncere fores reserare, Deamque
Excipere, & docto continuisse sinu?
Illa tibi referet, quanto expectata triumpho
Carmina, & ingenij sint monimenta tui.
Surge igitur, viuensq; pia cape præmia curæ.
Post cineres sera est gloria, serus honos.

Ex I. M. Toscani Peplo Italiæ Epigramma descriptum, ad Iac. Sannazarium.

Plurima molitus præclara, per omnia summum,
Quod dare vel poterant singula, nomen habet.
Martis opus, dignum testatur sanguine equestri:
Exilio in Regem est certa probata fides.
Sic illum piscator amat, sic acta remugit,
Ut pecoris custos, syluáque Virgilium.
Iam sacra quid vatum pepererunt pectora Christo,
Virgineis quod se partubus æquiparet.
Sed noua Menalias quod ducis ad antra Camœnas,
Et calami Tuscos edidicere modos,
Hoc proprium, Syncere, tuum est: hoc Itala tellus
Ante Syracosij carmina vatis amat.
Tu belli, tu pacis honos: tibi deniq; lingua,
Et renouata vetus debet, & aucta recens.

FINIS.

QVORVNDAM NOSTRI SECVLI CLARISSImorum Heroum Elogia.

MAXIMILIANVS I. ROMANORVM IMPERATOR AVSTRIVS, obiit 1519.

MAXIMA Romani quem cura requireret olim
Imperij, & cuius maxima facta forent,
Maximaq; eueheret cœlo quem fama; vocatus
Maximus hic infans Æmilianus erat.
Maxima vicerunt fatale at pectora nomen,
Maximaq; inuicta munera mentis erant:
Maximus hunc præfert Fabius sibi: Julius effert,
Maximum & Æmilij Scipiadæq; vocant.
Maxima nam pariter fulserunt omnia in vno,
Imperium, nomen, pectora, facta, decus.

CAROLVS V. AVSTRIVS, ROMANORVM IMPERATOR INVICTISsimus, Hispaniarum Rex, obiit 1558.

NOn ego quòd virtute minor, ſed in ordine vitæ
Quod ſequor, extremū ſpector habere locum.
Nam neq; ſuſcepit me ſceptra potentior vllus,
Hoſte nec ex victo plura Trophæa tulit,
Aphrica quæ ſemper ſitiens, Europaq́; vidit,
Auriferoq́; recens terra reperta ſolo.
Sic mihi perpetuo Fortuna ſecunda tenore
Adfuit, & cœptis fauit amica meis:
Aſſiduis donec curis confectus & æuo,
Inualidus fratri ſceptra relinquo meo.

Aliter.

Carolus vnanimi mundum cum Fratre gubernans,
Romanum cogo vincula ferre Patrem.
Franciſcus capitur Ticinum Gallus ad amnem,
A me deuictus dat quoq; Turca fugam.

DE EODEM CAROLO V. ROMANORVM IMPERATORE.

CÆſareum fuluo inuictū diademate ſceptrum,
Cùm ceſſit fato, Carole diue, tibi;
Addita tunc fuerat niueis Victoria pennis,
Vt comes hæc ſanctum clauderet alma latus.
Submiſere tibi pulchrum mox Lilia florem,
Captaq́; te leni Cæſare Roma fuit.
Non ſatis Europa, non Aphrica victa; nec vltrà
Iam tellus Aſia, Turcaq́; pulſus erat:

Quin ea quæ nobis obuertit America plantas,
Et fortunatis littora fluminibus:
Cannibalesque truces agnoscunt iura potentis
Cæsaris, & dominæ mitia sceptra manus.
Quattuor imperij tanti bis lustra fuerunt,
Quæsiit vt senij tempora grata sui.
Tunc sceptrum fratri dedit, Imperiiq; coronam,
Optans sic placidum mortis obire diem.

HENRICVS DVX BRVNSVICENSIS CATHOLICÆ FIDEI defensor.

NVlla humanarum quàm sit constantia rerum,
Collige ab exemplo, qui legis ista, meo.
Hilsheymense solum, primo sub flore iuuentæ
Per valida adieci finibus arma meis.
Gaudentem spoliis, Hessius cum Saxone, partis,
Armata patrio vi pepulere solo.
Vt niger hos vicit Iouis ales ad Albidos vndam,
Felix amissos occupo rursus agros.
Perpetuum vt nihil est & ab omni parte beatum,
Fortuna alternans datq; adimitq; datum.
Nam geminos natos vna Mars impius hora
Abstulit, hos letho machina dira dedit.
Haud quenquam dubiè fas est confidere sorti:
Vita aloës multum, mellis habet minimum.

CONSALVVS FERDINANDVS CORDVBA, COGNOMENTO MAGNVS, Ferdinandi Hifpaniarum Regis Catholici, belli Dux, obiit 1516.

QVod gero præclarũ cognomen ob inclyta facta,
Hoc mihi concordi eſt militis ore datum.
Bella meo victor confeci ingentia Regi,
Terra ſub imperio cuique Ibera fuit.
Effrenes domui Mauros, armisq; ſubegi,
Qua rigat Heſperios flumine Bætis agros.
Adieciq; nouum regnum, qua mœnia culta
Parthenopes ſalſum verberat alta fretum.
Quæ non inuidiæ virtus patet? vltima fecit
Hæc me priuato ſub lare fata pati.

Aliter.

Magnus ego verè Conſaluus nomine dicor:
Hoc pater, aſt illud ſtrenua dextra dedit.
Gaditana feros egi trans æquora Mauros,
Aſſerui Regi Bætica regna meo.

MAXIMILIANVS COMES BVRANVS, CAROLI V. IMPERATORIS, belli Dux, obiit 1548.

VIr grauis, armorumq; fui ſpectatus in vſu,
Nec virtute minus, conſilióque potens.

Quando fuit pulsis erepta Bolonia Gallis,
Anglia quem tenuit, dux ego Regis eram.
Hinc tibi belligerans, semper victricia signa
Auspiciis duxi, Carole quinte, tuis.
Cumq; ingens gereres bellum per Teutonis oram,
Inferiorq; tuo viribus hoste fores:
Agmina traducens Rhenum tibi Belgica iunxi,
Nec fuit absq; opera palma parata mea.

Aliter.

Expugnata fuit captis Bolonia Gallis,
Cum ferrem auxilium, flaue Britanne, tibi.
Heßus & inuicto Septem vir pectore Saxo,
Me duce dant palmam, Carole diue, tibi.

GEORGIVS FRONSPERGIVS SIVE FRVNDSBERG BARO SVEVVS, dominus in Mindelhaim, Petersberg & Stertzingen, eiusdem laudatissimi Cæsaris CAROLI V. Germanici exercitus inclytus & clarissimus Dux, obiit 1528.

Corporis ut præstans superabam viribus hostes,
Sic animi pollens robore ductor eram.
Militiam didici teneris productus ab annis,
Armaq; prima tibi, Maxmiliane, tuli.
Quo sene defuncto, sectanti castra nepotis,
Vix quisquam belli par mihi laude fuit.

Præ-

Prælia iusta manu promptus ter quinq; subiui,
Bis decies pugnas sustinuiq; leues.
In patria morbo morior serpente per artus,
Dum petitur signis Martia Roma meis.

Aliter.

Promptus eram, nulli veterum virtute secundus,
Seu res consilio, seu peragenda manu.
Stans ego equum potui frenis inhibere volantem:
In valido tantum corpore robur erat.

ODETTVS FVSIVS LOTRECHIVS, COPIARVM GALLICARVM IN Italia Imperator, obiit 1528.

NON habuit virtute parem mihi Gallia quen-
Tempore quo vitæ sunt data fata mea. (quā
Horror eram Latio: fama notissima cœlo,
Oppida sunt armis multa subacta meis.
Hinc nomen quod Rex meruit Demetrius olim
Mira expugnatis vrbibus arte, tuli.
Qui bellis inuictus eram me sæua subegit,
Infestat grauiter dum mea castra, lues.
Et cineres fortuna meos afflixit iniqua,
Dum tumuli expertes bis duo lustra iacent.

Aliter.

Sunt quia capta meo quàm plurima mœnia ductu,
Expugnatorem me vocitare solent.

Claruit hac olim Macedo Demetrius arte,
Participem laudis nunc habet ille sua.

FERDINANDVS ALVARECIVS TOLETANVS, DVX ALBANVS, CAROLI Quinti Cæsaris & Philippi Catholici Hispaniarum Regis, belli Imperator celeberrimus, obiit 1582.

QVale sit ingenium, qua mens, mea facta loquũtur,
Et facies certis indicat ipsa notis.
Me latium me Roma vetus, me laudibus effert;
Citriferos habitans fuscus Iberus agros,
Gallia detestata caput formidat & horret,
Ludibrio flauus crine Britannus habet.
Armipotens probat & damnat Germania passim,
Fortunam luget Belga, gemitq; suam.

Aliter.

Galle mihi, mihi Belga licet, mihi Teuton, & Angle
Dixeritis quiduis bile tumente malum:
Haud moror in Regem dum parte fidelis ab omni,
Inueniar (semper quod fore spero) meum.

IOANNES COMES ARENBERGICVS PHILIPPI HISPANIARVM REGIS fortissimus belli Dux, obiit in pugna Phrysiaca, anno 1568.

Si quibus inconstans peperit fortuna dolorem,
His ego me socium dicere iure queo.
Et mihi natales, decus, & connubia magnum,
Nobilitas factis quæ fuit aucta, dabant.
Cùm gereret bellum Hermanidæ Carolus ora,
Burani consors strenuus arma tuli.
Vt noua turbauit trepidos discordia Belgas,
Regis ab Hispani partibus ipse steti.
In Phrysia vitam mihi mors ita flebilis aufert,
Sic rapiunt claros tristia fata viros.

Aliter.

Non moror in bello cecidi quòd victus ab hoste,
Pugnando fortes claudere fata decet.
Hoc queror obscuro perij quòd milite casus,
Nec laudem de me strenuus hostis habet.

AD GERMANIAM.

Quò tua bellatrix abiit Germania Virtus?
Dißimilis nostro tempore facta tui:
Vindelicis olim pepulisti finibus Hunnos,
Imperium magno cùm sub Othone fuit.
Ad Solymas arces victricia signa tulisti,
Sceptriger Imperij cùm Fridericus erat.
Nunc procul à Tanoi ducentes agmina Turcæ
Danubij ferro depopulantur agros.
Interiit virtus Germanæ mascula gentis
Mersa Gynæceis ebria Symposiis.

In tua grassatur terrarum viscera prædo,
Ausa nec hostiles es cohibere manus.
Te quibus ostentas, nunc vtere grandibus hastis,
Et quibus in circo ludicra bella geris.
His animosa pias hastilibus assere gentes
Si quid in audaci pectore Martis habes:
Ah pudeat Scythicis egressum finibus hostem
Militiæ nobis præripuisse decus.
Mollia dum sequimur nos desidis ocia vitæ,
Aspera bellator prælia Turca facit.
Dùm cane venamur lepores, aut cuspide damas,
Figimus, ille suo milite regna capit.
Deniq; nos tantum sine sanguine ludimus armis,
Ille gerit forti seria bella manu.
At generosa tuis Germania consule rebus;
Coge pharetratas vertere terga Getas.
Ipsa tuas vrbes è faucibus eripe lethi,
Et vetus imperij Marte tuêre decus.
Si secura mali non propulsaueris hostem,
Tristia crudeli vulnera clade feres.

DE STATV MVNDI.

P*Ralia crudescunt, gerit omnis natio bellum:*
Omnia terribili regna fragore crepant.
Factio distractos in mutua vulnera ciues
Armat, & alterna clade dat exitio.

Vsuris

Vſuris exhauſta iacent patrimonia regum,
Vnciaq; in fœnus nulla ſat eſſe poteſt.
Non modus in victu, non eſt in veſte decorum;
Corpora luxuries, luxus inanit opes.
Quiſque ſui ſeſe ſupra genus ordinis effert,
Contentuſq́; ſuo denegat eſſe gradu.
Nemo laborantis, nemo miſereſcit egeni,
Omnis in humano corde refrixit amor.
Integritas, ſincera fides, candorq́; receßit,
Melle fluunt lingua, pectora felle tument.
Fœdera, contractus, commercia, pacta, forumq́;
Mille ſophiſmatibus peruia, mille dolis;
A centro dimota ſuo, diſiectaq́; tellus
Intremit, horrendis concutiturq́; modis:
Æſtuat inſolitis agitatum fluctibus æquor,
Eluuiem moles nulla coërcet aquæ.
Degenerant partes mutati enormiter anni,
Menſibus æſtiuis frigida torpet hyems.
Tempore non alio defecit crebrius vnquam
Luna peregrino lumine, Solq́; ſuo:
Nec prius ignoti toties arſere cometæ,
Ventorum grauior nec fuit antè furor.
Annona in precio eſt, vix ære parabilis vllo,
Vnde fames multis ſæuit acerba locis.
In populos ſpargunt diræ contagia febres:
Nec mortis ſpecies vna, nec vna via eſt.

Deniq;

Deniq; ceu longo labefacta puerpera nixu
Anxia, semianimis plena dolore gemit:
Sic defessa malis natura fatiscit, & optat
Exuuias oneris deposuisse sui.
O immense gigas qui sustentantia mundum
Fulcimenta tenes omnipotente manu:
O lapis absque manu de monte reuulsa superno:
Rumpe moras, cursum corripe, Christe, veni.
Destrue succidui reliquum quodcunq; colossi est,
Exordire tuum protinus imperium.
In quo certa quies stat definita laborum,
Fixus vbi nostri terminus exilij est.

FINIS.

EPIGRAMMATA

DE SERENISS. PRINCIPE IOANNE AVSTRIACO POTENTISS. CAESARIS CAROLI Quinti filio, Catholici Hispaniarum Regis Philippi fratre, ac Belgij Gubernatore, regiiq; exercitus Imperatore laudatiſsimo, ſcripta.

Obiit Namurci. 2. Octobris 1578.

I.

IOANNIS ANTONII VIPERANI.

QVI Chriſtiani nominis vrbibus
Parabat hoſtis funera bellico
Strepens tumultu, Chriſtiana
Vi cecidit, tumidumq; collum
Dedit cathenis. Nunc rabiem Iouis
Incuſat amens, fataq; triſtia
Plenis querellarum fatigat
Carminibus. Tua dextera proles
Inuicta regum, dignaq; Carolo
Parente, cuius nomen ad vltimos

Peruaſit

Peruasit Indos, Barbarorum
Marte graui domuit cateruas.
Et tuta recto numine cœlitûm
Ærata fregit robora nauium,
Sparsoq́ꝫ Turcarum cruore
Ionias tepefecit vndas.
Vxor maritum Thracia belluis
Ponti forantum plorat, Echinadum
Thrax nomen inuisum per horret,
Austriaci iuuenisq́ꝫ signa.
Sic curæ edaces, & metus, & dolor,
Luctusq́ꝫ nigra finibus Italis
Pulsa cohortes prouolârunt
In varias Orientis Oras.
Infanda Selim fracta ferocia est.
Da thura fllammis. Nos etiam ducis
Augusta Ioannis Trophæa
Pierio meditemur arcu.

2.

Themistocleos taceat Salamina Triumphos,
Tristia Persarum fata, Ducisq́ꝫ fugam.
Augusti sileat famam Epirotica Tellus,
Qui valida fregit Classe Orientis opes.
Omnis honor Naupacteo concedat honori,
Hispanum quauis prædicet ora virum.

3.

Sæpe tuas voluit Princeps altißime laudes
Fortia facta meis versibus inserere.
Verùm non video tantum mihi roboris esse,
Vt tua perpetuò fama vigere queat.
Copia scriptorum non deerit, pectora vatum
Per quos tu viuas liber ab interitu.
Annales fient, diuina poëmata crescent,
Inscripto facient nomine signa fidem.
Mœnia sic partum sub Naupactea Triumphum,
Strenue Dux poterit nulla abolere dies.

4.

Militis effreni vicit Mœotica bella,
Dux tua Centimano dextra timenda Gyge.
Mirantur te Dux Tellus, cœlum, æquor, Auernus,
Fama volet pernix, restat, ad Antipodas.

5.

Cæsar si toties bellans Terraq́; Mariq́;
Deuicto rediit Victor ab hoste Domum,
Mantinas acies, nunc Cæsaris inclyta Proles
Contudit, & salsa sanguine tinxit aquas.
Mente tenens memori celeberrima facta Parentis
Iram compreßit, vim, rabiemq́; canum.
Quam virtute sua genitor cohibere nequiuit,
Quos sola hac pugna non erit inferior.

Hostili tanta de Claße superfuit vnus,
Nec poterit celeris rostra cauere ratis.
Regia vincat auis, sic vsq; Alcaa triumphet
CRVX pia, clamet IO, firma COLVMNA
(regat.

6.

Sic erat in fatis, nullius robore vinci
Posse Ducis populos, quos lauat Hebrus aquis,
Regalis nisi clara Domus Insignia pandat,
Alto prognatus sanguine Cæsareo
Et virtute Duces nisi Bellax anteat omnes
Tum vectus naui, tum pede vincat equo.
Splendor Iberiaca gentis, sit Gloria Mundi,
Et sit ad hoc Celsi missus ab arce Poli.
Filius hic fortis CAROLI est, fraterq; Philippi
Laus procerum, Hesperia, lumen, & orbis honos.

7.

Nunc iactet CAROLVS Natum, fratremque
Philippus,
Quē semper celebrem post era secla canent.
Iamq; suum felix Hispania laudet Alumnum,
Gestiat expandens Austria signa Domus.
Acer pangaas pessundedit ille Triremes,
Atq; amplas victor retulit exuuias,
Abderitanisq; arcebat finibus Hostes,
Latius & nostrum proferet Imperium.

Et prauam extinguet sectam fortißimus Heros,
Deiiciet Stigij turpia spectra viri:
Extolletq́; CRVCIS totum vexilla per orbem,
Et CHRISTI Nomen qualibet ora canent.
Alter erit Carolus fama super æthera notus,
Quin cedet nato Gloria magna Patris.

8.

Non tantum piguit CAROLVM concedere fatis
Edomitis nondum gentibus Æmoniis:
Quantum stellifero nunc gaudet in axe Triumphum
Demirans fili, magnaq́; facta sui
Sic ait. ô felix nate ac fortißime, lætor
Nomina nominibus cedere nostra tuis.

9.

Si crescente æuo gestarum GLORIA rerum
Crescet, erit tandem nil quod in orbe geras.
Aut Deus Immensi fines tunc proferat orbis,
Aut positis armis sit capienda Quies.

10.

Inter tot titulos quos dat tibi bellica virtus
Et factis tribuit Bætica terra tuis,
Quod tibi concedit pelagus, ne despice nomen,
Tu Dux Neptuni, qui freta vasta regit.

Vincere perge igitur, Neptunia regna tueri:
Venti aspirabunt, Rex Maris, atq; Mare.

11.

Impiger euertens patriis virtutibus hostes
Leucadias Cilici sanguine tinxit aquas.
Cuius laua tenet fortunam, dextera robur,
Qui Decus est Regni, qui Decus IMPERII.

12.

COLCHORVM vicit Regnator saepe, semelq;
Deuictus, nullo tempore victor erit.
Qui satis Armatum vicit, num vincet Inermen?
Induet arma, dabit carbasa vela notis.
Qui paucis numerum, numero num vincere paucos
Inuicti soboles Dux poterit CAROLI?
Ducat Phasiacam gentem curum ante triumphans,
Et ROMAM Lauro conspiciendus eat.

13.

Si bellandi vsu sic est tua clara Iuuentus:
Vt CAROLI obscures facta notanda Patris;
Qui solo hostiles terrebat nomine Turmas,
Cui nullum seclis fata dedere parem.
Mars alter fies virtutibus auctus, & annis,
Fessus Mars MARTI Bella cruenta sinet.

Dum

14.

Dum Samon Ioniis pulsabit fluctibus aequor,
Dum Patrae stabunt, litus & Inachium;
Qui capta fregit Byzanti Classe Tyrannum,
Ibit laudatus crebra per ora virum.

15.

Credebam lumen rebus concedere lumen,
Quarum esset lumen; nunc secus esse patet
Splendor es Heroum; splendorē splendor obumbras
Sic splendor nubes, lumina sic tenebrae.

16.

Quod tot tentârunt frustra, tibi contigit uni
Ob res, quas alij non habuere Duces.
Hac vincunt, Ius, Ars, Sors, Vis, Mens sanior; aequo
Tu usu, Fortuna, Robore, Consilio.

17.

Postquam rerum opifex verbo usus condidit orbem,
Diuino nutu cuncta creata regens:
Naualis nulla est insignior edita pugna,
Hac minor Ætola, Xerxis, & Actiaca.
Postquam gradiuus cœpit clangore turbarum
At funesta viros arma ciere ferus.
Tam fuit ardenti bellator pectore nullus,
Nec tanta est ulli fama parata DVCI.

Quantam virtute inuicta sibi Regius HEROS
Nunc peperit, domitis gentibus indomitis.
Cede Pater Nato, cui non tibi Tracia cedens
Cedit turba suam quo dolet Afra vicem.
Quæ Truculenta Patri obstabat Bithynia Nato,
Non obstabat fugiens arma pauore iacit.
Cedite, qui CAROLO cessistis, cedite Proli,
Cui cedit Carolus, cedere ne pudeat.
Deuictis totum pacabunt hostibus orbem
Primus honor volucrum, Gloria prima Ducum.

18.

Obstupuere omnes vnum fecisse potentem,
Quod tot magnanimi non potuêre Duces.
Ast ego non miror tot non fecisse, quod vnus;
Vnus pro centum millibus ille valet.

19.

Non sibi præfigi patitur tua Gloria fines,
Atq; tuis factis terminus esse nequit:
Siue tibi Carolum proponis, siue Philippum,
Te monet hic Frater, te monet ille Pater.
Tendes vlterius, recoles si Patria SICNA,
Si fratris pandes, altius ibit honos.

20.

Vita-

Vitales CAROLVS ſi nunc euadat ad Auras,
Egregiis Nati laudibus inuideat.

21.

Repreſſit CAROLVS rediens ad lumina vitæ
Vires Parrhaſij Principis Oebalias.
Falleris ah demens, ſuperas nec venit ad auras,
Nec vicit CAROLVS, filius at Caroli.

22.

Non tam obtenta prius Victoria profuit omnis,
Quam trucibus clades obſtitit vna Getis.
Quam nuper CAROLI inflixit fortiſſima Proles,
Mactans Plutoni millia tot ciconum.
SIGNA PIO miſit Templis figenda Quiritum,
Perpetua, vt clari ſint Monumenta DVCIS.

23.

Quæ iam pugnauêre diu Mauorte ſecundo
Barbaricas gentes quis docuit cadere?
Commaculare atro Neptunia Regna cruore?
Æquor eis miſerum piſcibus eſſe cibum?
Ille fuit, CAROLO genitum quem fortia facta
Teſtantur populis, intrepidusq́ animus,
Conſilium acre, manus velox, inuictaq́ virtus,
Terrorem rabidis hoſtibus incutiens.

Totq; Duces vicit domita qui Classe superbos,
Vt paucis fuerit vita, salusq;, fuga.
Qui, sacras ædes spoliis oneratus opimis,
Poßit TARPEII nobilitare IOVIS.
Quid valuere arcus? dira quid cuspide tela?
Harpaq;? & fodi nomina vana viri?
Sic bisaltarum cecidit cum milite Princeps,
Diffracta, vt serò tollere membra queat.
Omnis vt insigni huic vni victoria cedit,
Vnius pro aliis sic celebretur honos.

24.

Latus regrederis Patareo victor ab hoste,
Aduehitur Patrios barbara præda Lares.
Et IANI claudes nullum reseranda per æuum
Phana breui, pacis pignora perpetua.

25.

Quanta sit in terris tua Dux Cartesie virtus,
Gens deuicta queunt dicere Celtiberi.
Immensoq; tuum quid poßit in æquore robur,
Naupacti monstrant, & fera bella Sami:
Restat, vt in Lelegas iteres Tellure Triumphos,
Et ponat pugnis tertia pugna modum.

26.

IVPPITER ex alto prospectans bella futura,
Dixit aui, rursum suggere tela mihi.

Et

Et diros adigam flagranti fulmine Thracas,
Et scelerum pœnas ad Phlegetonta luent.
Ales adhac; solita est tua debellare Gygantes
Dextera: pugna I O V I S *non decet ista manum.*
Nequitiam qui frænet, habet Tartessia tellus,
Fac rogo, tam clari sim D V C I S *Armigera.*
I, dixit: mea, erunt immania corpora, bella,
Bessorum ille potens agmina sæua domet.

AD EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM, ALEXANDRVM FARNESIVM Parmensem Ducem, Belgij Gubernatorem, Regiarumque copiarum Imperatorem inuictissimum.

INclyte Alexander Parma celeberrime Princeps
Tu verè es Princeps, attamen esse paras.
Viuis in assiduis armis, durosq; labores
Perfers, & vita mille pericla subis.
Facta tibi ante oculos patrui versantur Horati,
Nec non O C T A V I *fortia gesta Patris*
P O N T I F I C E S *miraris Auos, & rubra tuorum*
Tegmina, & Austriacæ stemmata clara Domus.
Ad res egregias te virtus excitat horum,
Qui modò sunt orbis, iamq; fuere D E C V S.
Tu quoq; magnanimus per te, tua dextera fortis,
Hostibus elatum deprimit esse caput.

Si quid terra struit, si quid molitur, & aequor,
Non caret auxilio hoc, non caret illa tuo,
Nullum laudis enim quaerendae tempus omittis,
Pugna Oenea tuum nomen ad Astra tulit.
Asiacam irrumpis Puppim, Lydosq́ trucidas,
Omnibus occisis capta Carina fuit.
Praesentes animos, ô nescia corda timorum,
O miras niues PRINCIPIS *Impauidi?*
Cernere nunc videor non vanos cuspidis ictus,
Maeonas, ante tuos qui cecidêre pedes
Haud secus, ac calamos aestiuo tempore grando
Interdum rapidis decutit acta notis.
Vis PRINCEPS *igitur dici, quòd primus in hostes*
Vadas, & sine te fiat in Orbe nihil.

IN IOAN. AVSTRIVM.

CArolus Herculeas potuit tetigisse Columnas,
Plus vltra dicens voce carente metum.
Hostibus à victis tot sumpsit nomina victor,
Primus vt à primo Caesare Caesar eat.
Infectum de tot factis hoc restitit vnum.
Impia non Getici contudit arma viri.
Omnia si felix gessisset dextra parentis;
Nullus honor nato, gloria nulla foret.
Nilq́ orbis nato deberet. debet vtrique,
Clarus vterque manet, filius, & genitor.

DE EODEM IO. AVSTRIACO IOANNES VERZOSA.

NOn huic ante parẽ Auſtriadæ, ſimilemúe videre
Maiores potuêre diem; te tanta manebat
Gloria: te deſignabant oracula cuncta.
O Mauris Turcisq́; pauor, ter digne parente,
Fratre idem ter digne tuo? perge ire, nec vllum
Diſcrimen metuat tua virtus: te pia ſeruant
Quinti vota Pij: pro te vox ſancta diurnas,
Nocturnasq́; preces non intermiſſa profundit,
Pompa Sacerdotum pro te delubra frequentat:
Æthereis pro te panis demiſſus ab oris
Sanguine cum dio per ſacras ſumitur aras.
Hæc ſeclis non viſa vllis, audita nec vllis
Præcipuos etiam victoria poſcit honores;
Solemni memores ritu celebretur in annos.
Te ſolido paſſim Heſperij geſtemus in auro:
O nimium læto nobis ſub ſidere nate
Carolide; tua nos, reliquosq́; oblectet imago.
Raro marmorei, & vultus ponantur aheni
Victori: qui vincendum nihil æquore toto
Liquiſti: referas partum virtute tuapte
Nomen; & hanc pugnam naualem pingat in aula
Regum docta manus. Claſſes vt prouidus omnes
Inuictus luſtras cymba: atq; accendis in hoſtem;
Et tua dimittis ducendi munia Chriſto:

Et miles certamen inis ductore sub ipso.
Has captas, illas submersas fluctibus, illas
Detrusas scopulis, inflammatásue carinas,
Tercentum: sexta vix salua parte: solutos
Bissenos mille è vinclis gentisq́ nefanda
Vnda, terdenos igni ferroq́ue, peremptos.
Nam quia summa Deo tradis, tibi parua relicta
Præda fuit, ducenda tuis captiua triumphis.
Scuta hastaq́ natent, & plurima corpora circum
Ambracius sinus hinc; illinc Crisseus: & amplis
In spatiis Ithace, Cephalene, & Echinades: atrum
Sit mare: sit piceis infecta vaporibus aura.
O illi, duce te qui pugnauêre, viamq́
Ad vitam strauêre sua sibi morte, beati
Athleta Christi donati munere cæli
Maturo: felix ô dein quicunque superstes
Lætitiam hanc cõmunem oculis mortalibus haurit,
Et parui fructum ingentem capit ille laboris.
Felices Nonæ Octobris, lux alma, repentè
Quæ cæcas tenebras tam claro lumine, mutas.
Fœderis ô magni proceres, PIVS atq́ PHILIPPVS,
Et MOCENICVS, felices, quos docet auctor
Vincendi vestris posse hostem occumbere telis,
Si coit, & stat firmus amor, si gratia durat.
At tu, qui votis, & spe miracula genti
Plura tua, & maiora edis dulcissime IESV,

Offen-

Offensus nostris non vllo tempore culpis
Confirmes, & des vti victricibus armis.

AD CATHOLICVM, ET POTENTISSIMVM HISPANIARVM REGEM PHILIPPVM Austrium.

O Rex ante alios Reges felicior omnes,
Cui dedit omnipotēs maxima quæq; Pater,
Sanguine magnanimi tu cretus Cæsaris alto
Sceptra aliis Sceptris inuidiosa tenes,
Littoris Hesperij columen, custodia Regni
Frater adest, cuius nomen vbique sonat.
Teque tibi simili fecit Regina Parentem
Prole diu optata poscere plura licet?
Tanta Philippe tibi superos tribuisse memento,
Vt bello credas, & tueare FIDEM.
Ictum perpetuò conserues fœdus amoris,
Afris, Magdoniis, Thracibus excidium.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGES.

Pag. 11.b. verſ. 1. ſinu. 14. a.4 nitentes. 17.a. 17.tuo. 18. b 6.nominis. 19.b 14. Nænia. 20.a.15. Flaminis. 21.a. 6. iuſſerit. 25.a.9.ſollertia. 35. b. 4. aſpicere. 36. b.6. polo. 35 b 8. ſigna. 37.a 19. optima. 41.a 8. ſcutataſq;. 47. a.2. ipſe. 47.a.17.amnibus. 52. b.6. more. 64 b 23. pie. 54. a. 16. querelas. 74. a. 4. Itala regna. 77. b. 26. iuſsis. 78.a. 23.pes. 96.a.18.promuntur. 99.a.15. ingenuis.